

GAUDEO


GAUDEO.



162

Rare.



martin frobisher



…avigatio à Forbissero A. 1577. mense Majo, Junio, Julio, Augusto et Septembri instituta.
Delineatio hominum ex Angliâ advectorum, cum eorum armis, tentorijs et naviculis. A. 1577.

J. Wichman fecit



Jovii animal unicorne quadrupes, ante 200 annos, ita deline-atum., et ex itinerario Bernh. de Breidenbach in terram sanctam excerptum.



I. N. J.

HISTORIA NAVIGATIONIS

MARTINI FOR-BISSERI

Angli Prætoris ſive Capitanei,

A. C. 1577.

Majo, Junio, Julio, Auguſto & Septembri menſibus,

JUSSU REGINÆ ELISABETHÆ,

Ex Angliâ, in Septemtrionis & Occidentis tractum ſuſceptæ,

ephemeridis ſive diarii more conſcripta & ſtilo,

trienniоq; poſt, ex gallico in latinum ſermonem,

à

Joh. Thoma Freigio translata,

&

Noribergæ, antè A. 94. cum præfatione utili, obſervationib9 aliquot & appendice edita, denuò prodit, é muſéo D. Capelli P. P.



HAMBURGI,

Sumptibus JOH. NAUMANNI & GEORGI WOLFFII,

Anno 1675.



VIRO

AMPLISSIMO

DOMINO

HIERONYMO PAUMGARTNERO,

Septemviro Reip. Noriberg. & Scholarchæ Gymnasii Altorfiensium,

JOHAN. THOMAS FREIGIUS S.

I.



Avigationes inusitatæ, quæ superiore proximo seculo, per homines ingenii magnitudine & animi fortitudine præstantes, in usum revocatæ sunt, meritò disputationem plenam jucunditatis & oblectationis pepererunt, an tot insulæ, totq́ regiones, intra centum annos propemodum detectæ, veteribus cognitæ fuerint. Etsi autem ipsa novi orbis appellatio, satis indicare videatur, antiquos de ipso, aut nihil aut perparum scivisse, præsertim cum in veterum commentariis altum de eo silentium sit: in eam tamen opinionem veni, ut existimem novum, quem vocant, orbem, antiquis non omnino ignotum fuisse.

2. Nam ut à Platone, philosophorum Deo, potissimum incipiam, ait is in Timæo, seu quisquis ejus libri autor fuit, insulam in occidente Atlanteam fuisse, extra columnas Herculis, Africa & Asia longè majorem. Verba hæc sunt. Ἦν ποτε δύναμις ὕβρει πορευομένη ἅμα ἐπὶ πᾶ-

σαν εὐρώπην καὶ ἀσίαν, ἔξωθεν ὁρμηθεῖσα ἐκ τοῦ ἀτλαντικοῦ πελάγους. (τότε γὰρ πορεύσιμον ἦν τὸ ἐκεῖ πέλαγος) νῆσον γὰρ πρὸ τοῦ στόματος εἶχεν ὃ καλεῖται ἡρακλέους στῆλαι. ἡ δὲ νῆσος λιβύης ἦν καὶ ἀσίας μείζων, ἐν δὲ τῇ ἀτλαντίδι ταύτῃ νήσῳ, μεγάλη συνέστη καὶ θαυμαστὴ δύναμις βασιλέων, κρατοῦσα μὲν ἁπάσης τῆς νήσου, πολλῶν δὲ ἄλλων νήσων καὶ μερῶν τῆς ἠπείρου. *Idem propemodum in Critia ſcribit. Antiquior autem illo Homerus, cum duplices Æthiopas faciat, ad occidentalem illam inſulam reſpexiſſe videtur, Sic enim ait:*

Αἰθίοπας, τοὶ διχθὰ δεδαίαται ἔσχατοι ἀνδρῶν.

Ne autem de Africæ Æthiopibus id tantum intelligi poſſit, facit Crates apud Strabonem libro primo: ubi Strabo ipſe, qui hos Homeri verſus ex ſententia Cratetis interpretatur, ſic ait: ὥσπερ οὖν οἱ παρ' ἡμῖν αἰθίοπες οὗτοι λέγονται οἱ πρὸς μεσημβρίαν κεκλιμένοι παρ' ὅλην τὴν οἰκουμένην, ἔσχατοι τῶν ἄλλων παροικοῦντες τὸν ὠκεανόν: οὕτως οἴεται δεῖν καὶ πέραν τοῦ ὠκεανοῦ νοεῖσθαι τινὰς αἰθίοπας ἐσχάτους τῶν ἄλλων, τῶν ἐν τῇ ἑτέρᾳ εὐκράτῳ παροικοῦντας τὸν αὐτὸν τοῦτον ὠκεανόν. διττοὺς δὲ εἶναι καὶ διχθὰ δεδάσθαι ὑπὸ τοῦ ὠκεανοῦ. *Sicut à nobis ii dicuntur Æthiopes, qui verſus meridiem ſiti, totius habitatæ terræ in extremo ad Oceanum accolunt: ita putat etiam trans Oceanum intelligendos eſſe alios quosdam Æthiopes, reliquorum extremos, qui in altera temperata Zona, ipſi quoq; ad Oceanum habitent. Eos igitur geminos eſſe, & bifariam diviſos. Sed memoratu dignius eſt, quod idem Strabo lib. 2. de Menelai Regis Græcorum peregrinatione, ſcribit ex Ariſtonico Grammatico, qui dicat eum circumnavigaſſe, per Gades usq; ad Indiam, tempus etiam peregrinationi accommodans, quòd octavo nimirum anno redierit.*

3. *Multò autem admirabilius eſt, quod de Eudoxi navigatione eodem libro refert. Is cum in Ægyptum veniſſet, quo tempore Evergetes ſecundus regnum tenebat; cum rege & ejus familiaribus ſermones contulit, maximè de ſurſum navigando Nilo. Fortè t..m à cuſtodibus Arabici ſinus, Indus quidam ad regem fuit allatus, dicentibus, eum ſemimortuum à ſe inventum fuiſſe in navi ſolum, neq; ſe ſcire, quis aut cujas eſſet, quòd ſermonem ejus non intelligerent. Hunc igitur Rex commendavit iis, qui eum linguam Græcam docerent, quæ*

per-

percepta, homo narravit, ex India se navigantem, recto cursu excidisse, atq; huc evasisse, sociis fame amissis: simulq; pollicitus est, se navigationis ad Indos monstratorem fore iis, quibus eam rem Rex demandaret, inter quos & Eudoxus fuit. Hic ad Indos cum donis navigavit, & eorum loco reportavit aromata ac lapides preciosos, quorum alios fluvij cum scrupis devehunt, alij effodiuntur concreti ex humore, ut apud nos crystalli. Cæterum Eudoxus sua spe falsus fuit, Evergeta quicquid nave advexerat adimente. Mortuo Evergeta, uxor ejus Cleopatra tenuit regnum, rursusq; ab hac missus Eudoxus majore cum apparatu, ventis supra Æthiopiam est delatus: ubi cum ad quædam loca appulisset, animos incolarum sibi conciliavit frumenti, vini & caricarum largitione, quibus illi carebant: ab iisq; è contrà aquam & navigationis duces accepit, & vocabula quædam descripsit: cumq; invenisset summitatem proræ, è naufragio superstitem, equo insculpto insignem, idq; cujusdam, navi ab occasu advecti, naufragium esse inaudivisset, secum in reditu detulit, salvusq; in Ægyptum rediit, filio Cleopatræ jam suffecto in regnum: & denuò omnibus fuit spoliatus, cum compertum esset multa ipsum intervertisse. Proræ autem summitas ab ipso in emporium delata, naucleris q; exhibita est, fuitq; ab his edoctus, Gaditanæ esse id navis. Nam Gaditanorum mercatores, ingentibus uti navibus, pauperes parvis, quas equos appellent à proræ insignibus, iisq; eos piscandi gratia usq; ad Lixum amnem circa Maurusiam navigare: atque adeò quidam nauclerorum lignum illud unius eorum fuisse, qui ulterius à Lixo fluvio navigarant, neq; reversi fuerant. Ex his Eudoxus collegit, posse Lybiam navigio circumiri: itaq; Cyzicum in patriam reversus, omnibusq; suis facultatibus navi impositis, navigationem instituit: primum Dicæarchiam, inde Massiliam, ac reliqua deinde oræ maritima navigata, Gades pervenit. Ubiq; autem divulgato instituto, rem fecit, magnaq; navi comparata, & duabus scaphis lemborum piraticorum similibus, impositis pueris symphoniacis, medicis, aliisq; artificibus, Indiam versus per altum navigavit, subvectus continentibus Favoniis. His autem, qui unà vehebantur, ex navigatione defessis, invitus ad terram secundo vento appulit, metuens sibi ab æstuum marinorum vicibus. Evenit

autem

autem quod metuerat. Subsedit enim navis, sensim tamen, non subitò soluta: sed & merces prius & lignorum deinde major pars in terram fuit egesta. E quibus lignis tertium confecit lembum, assimilem quinquaginta remorum navi, & navigavit usq; ad eos homines, qui sermone eo utebantur, quem antea literis ab eo signatum fuisse retulimus. Id etiam ibi animadvertit, hos homines ejusdem gentis esse cum illis Æthiopibus, & esse similes in Bocchi regno. Inde omissa ad Indos navigatione rediit, interq; navigandum annotavit insulam, quam aqua & arboribus bene instructam vidit. Cum in Maurusiam incolumis pervenisset, divenditis lembis terrestri itinere ad Bocchum ivit, eiq; suscipiendæ hujus navigationis autor fuit. Vicit tamen sententia familiarium, qui monebant, metuendum esse, ne ditio hac ita aliorum insidiis opportuna redderetur, commonstrato aditu iis qui extrinsecus bellum inferre vellent. Itaque ipse, cum audiret verbis se ad eam destinari navigationem, futurum autem ut in solam aliquam exponeretur insulam: in Romanorum effugit provinciam, indeq; in Hispaniam. Tum rursus constructa terete navi, & alia quinquaginta remorum longa, ut illa per altum veheretur, hac ponè terram: impositis instrumentis rusticis, seminibus & architectis, ad eandem circumnavigationem se contulit, eo consilio, ut, si ea tardius succederet, in prius annotata insula hyemaret, consitisq; agris & perceptis fructibus, initio propositam navigationem absolveret. Hæc Strabo de Eudoxi περίπλῳ. Optandum autem esset, plura de hac Eudoxi navigatione, per illum annotata fuisse. Et quanquam hæc quoq; pauca, suo quodam instituto refellere conetur, non tamen incredibilem fuisse illam Eudoxi circumnavigationem, experientia nostri seculi amplissimo testimonio comprobavit.

4. Accedit & autoritas Plinii, qui lib. 2. cap. 67. ait: à Gadibus columnisq; Herculis, Hispaniæ & Galliarum circuitu, suo tempore totum navigatum fuisse occidentem. Septentrionalem vero oceanum, majore ex parte navigatum esse, auspiciis Divi Augusti. Præterea ait: Nepotem Cornelium autorem esse, Eudoxum quendam sua ætate, cum Ptolemæum Lathyrum fugeret, Arabico sinu egressum, Gades usq; pervectum: multòq; ante eum Cælium Antipatrum vidisse, qui navigari

rit ex Hispania in Æthiopiam commercii gratia. Eundem Nepotem de Septentrionali circuitu tradere ait, Q. Metello Celeri C. Afranii in consulatu collegæ, sed tum Galliæ proconsuli, Indos à rege Suevorum dono datos, qui ex India commercii causa navigantes, tempestatibus essent in Germaniam abrepti. Hæc ille. Quin etiam sunt nonnulli, qui tempore Cæsaris Augusti Americam notam fuisse existiment, argumento ejus, quod Virgilius libro sexto Æneid. canit,

Iacet extra sydera tellus,
Extra anni solisq; vias, ubi cœlifer Atlas
Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.

Nam quòd hæc Servius de Æthiopia Maurorum, apud quos Atlas mons est, intelligit: germanæ nugæ sunt: cum Maro haud dubiè Atlanticam Platonis insulam his versibus describat, quam extra Zodiacum, tam versus septemtrionem, quàm versus meridiem se extendere sciebat. Nec omittendum aut contemnendum est, quod Aristoteles in libello περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων, *hoc est, de mirandis in natura auditis refert.* Ἐν τῇ θαλάσσῃ τῇ ἔξω ἡρακλείων στηλῶν φασὶ ὑπὸ Καρχηδονίων νῆσον εὑρεθῆναι ἐρήμην, ἔχουσαν ὕλην τε παντοδαπῆ καὶ ποταμοὺς πλωτοὺς καὶ τοῖς λοιποῖς καρποῖς θαυμαστὴν, ἀπέχουσαν δὲ πλειόνων ἡμερῶν, ἐν ᾗ ἐπιμισγομένων τῶν Καρχηδονίων πλεονάκις διὰ τὴν εὐδαιμονίαν, ἐνίων γέ μὴν καὶ οἰκούντων, τοὺς προεστῶτας τῶν Καρχηδονίων ἀπείπασθαι θανάτῳ ζημιοῦν τοὺς εἰς αὐτὴν πλευσομένους, καὶ τοὺς ἐνοικοῦντας πάντας ἀφεῖναι, ἵνα μὴ διαπλῶσι μηδὲ πλῆθος συστραφὲν ἐπ᾽ αὐτῶν ἐπὶ τὴν νῆσον, κυρίας τύχῃ, καὶ τὴν τῶν Καρχηδονίων εὐδαιμονίαν ἀφέληται. *Hoc est, ut Pirckaimerus interpretatus est: Trans Herculis columnas, in eo mari, quod Atlanticum dicitur, inventam quandam insulam, à Carthaginensium mercatoribus, olim fuisse inquiunt, à nullis id temporis habitatam, præterquam à feris, & propterea sylvestrem admodum, & multis refertam arboribus: alioqui fluminibus plurimis, ad navigandum aptissimis plenam, ac incredibili quadam omnium rerum nascentium ubertate profluentem, sed remotam à continenti, plurium dierum navigatione. Ad quam, cum nonnulli Carthaginiensium mercatores fortè accessissent, captiq; ejus loci fertilitate ac aë-*

ris clementia, ibi sedem fixissent: commotos ob id Carthaginienses, ferunt statim consilio publico decrevisse, morte indicta, ne quis posthac illuc navigare auderet: & qui jam erant, jussisse statim interfici (Pyrckaimerus videtur legisse ἀποκτεῖναι) ne ipsius insulæ fama perveniret ad alias nationes, submitterenturque alicui fortiori imperio, ac fieret quasi oppugnaculum quoddam adverso eorum libertatem. Et in eodem libello circa finem ferè ait. Λέγουσι περὶ Φοίνικας τοὺς κατοικοῦντας τὰ γάδειρα καλούμενα, ἔξω πλέοντας ἡρακλείων στηλῶν ἀπηλιώτῃ ἀνέμῳ ἡμέρας τέτταρας, παραγίνεσθαι εἴς τινας τόπους ἐρήμους, θρύου καὶ φύκους πλήρεις, οὓς ὅταν μὲν ἄμπωτις ᾖ, βαπτίζεσθαι, ὅταν δὲ πλημμύρα, κατακλύζεσθαι. ἐφ᾽ ὧν εὑρίσκεσθαι ὑπερβάλλον θύννων πλῆθος, καὶ τοῖς μεγέθεσι καὶ τοῖς πάχεσιν ἄπιστον ἐποκείλωσιν, οὓς ταριχεύοντες καὶ συντιθέντες εἰς ἀγγεῖα, διακομίζουσιν εἰς Καρχηδόνα, ὧν Καρχηδόνιοι μόνον οὐ ποιοῦνται τὴν ἐξαγωγήν, ἀλλὰ διὰ τὴν ἀρετὴν ἣν ἔχουσι κατὰ τὴν βρῶσιν, αὐτοὶ καταναλίσκουσι. *Hoc est, ut idem interpretatus est: Ajunt etiam Phœnices illos, qui ultima Gadium incolunt, cum trans Herculis columnas per dies quatuor enavigassent, vento maximo Apeliote tracti, applicuisse tandem ad loca quædam inculta prorsus ac deserta, verùm plena multa illuvie, & continuo penè conquassata motu: ea ubi cessaverit æstus, facilè conspici posse, sed redeunte immergi: in quibus invenisse eos affirmant, incredibilem quandam thynnorum multitudinem, magnitudine quidem & amplitudine admirabili. Tum verò ab his laqueos parari cepisse, quibus caperentur: captos autem membratim concidere, atque eorum carnes desiccare paulatim consuevisse, ac demum in vasis reconditos, deferre Carthaginem. Verum à Carthaginiensibus non exportari ulterius è civitate, sed potius eos domi consumere ob eam quam ferunt hujusmodi pisces, in conviviis dignitatem & excellentiam de se præstare.*

5. Nec verò prophanorum duntaxat autorum, sed sacrarum etiam litterarum testimonio uti hac in re possumus. Nam ubi lib. 3. Regum cap. 9. mentio fit insulæ Ophir, ex qua classis Salomonis aurum advexerit: ibi hanc regionem Indiæ plerique intelligunt, recentiores verò Hispaniolam in novo orbe versus occidentem inventam: quam ab Heberi nepote Ophir (de quo Genes. 10.) dictam esse autumant.

mant.

mant. Ex his igitur tot Philosophorum, Poëtarum, Geographorum, Grammaticorum, & S. in primis litterarum testimoniis constat, illum novum orbem veteribus quoque non prorsus ignotum fuisse. Quæ autem causa fuerit, cur illa navigatio tam diu intermissa sit, incertum est. Credibile tamen est vel regum civitatumq; interdictis illis id accidisse, vel ob Romani imperij inclinationem, cum totus orbis noster bellis & vastationibus Gothorum, Vandalorum, Longobardorum arderet; & Turcici imperij incrementum, omnes vires & cogitationes Europæ in se converteret.

6. Sed utcunq; se res ista habeat, hoc proximo seculo magna ex parte istæ regiones rursus detectæ sunt, insatiabili Hispanorum cupiditate, sed autore & inventore Christophoro Columbo Genuense, qui primus, Ferdinando & Isabella regnantibus in Hispania, novum orbem investigavit, anno cIↄ. cccc. xcII. & Cubam, Hispaniolam, Cubaguam, insulas: item Veraguam & Vrabam Indicæ continentis provincias detexit. Hunc sub Carolo Quinto Imp. secuti sunt alij. Cortesius enim novam Hispaniam & Mexicanum Montezumæ regnum: Valboa mare australe, quod vulgò mare del Sur dicitur: Pizarrus Peruanum ingens illud Attabalibæ regnum: Magellanes Magellanicum à suo nomine fretum: Pontius Legionensis Floridam provinciam: Fernandes Jucatanam aperuerunt. Et sanè magnum hoc nostri seculi beneficium videri posset, nisi statim fœda avaritiæ ingluvie, diraq; ducum inter se laniena, fœdatum inquinatumq; fuisset. Nam post primam illam pugnam, inter Christophorum Columbum & Franciscum Poresium in insula Hispaniola commissam: nonne ipsi duces, qui Peruanam illam terram cepere (ut Lullus Balearicus annotavit) & in illa gubernanda sibi successere, mutuis cædibus omnes ferè confecti sunt? Nam Franciscus Pizarrus strangulavit Almagrum: Pizarrum vicißim necavit filius Almagri: hunc postea Vasca decollavit: Vascam cepit Blasco prorex: hunc in prælio interfecit frater Pizarri: Pizarrus tandem à Vasca capitali supplicio affectus est. Rectè enim Sophocles in Antigona,

Οὐδὲν γὰρ ἀνθρώποισιν οἷον ἄργυρος
Κακὸν νόμισμ' ἔβλαστε: τοῦτο καὶ πόλεις
Πορθεῖ, τὸ δ' ἄνδρας ἐξανίστησι δόμων,
Τόδ' ἐκδιδάσκει καὶ παραλλάσσει φρένας
Χρηστὰς πρὸς αἰσχρὰ πράγματ' ἵστασθαι βροτῶν:
Πανουργίας δ' ἔδειξεν ἀνθρώποις ἔχειν,
Καὶ παντὸς ἔργου δυσσέβειαν εἰδέναι.

Et Horatius lib. 3. carm. oda 16.

Aurum per medios ire satellites,
Et perrumpere amat saxa, potentius
Ictu fulmineo.
Crescentem sequitur cura pecuniam,
Majorumq; fames.

7. Quod verò ad originem & stirpem harum gentium attinet, in eam sententiam aliquando delapsus sum, ut ex Chami posteris deductas esse, & parentis maledictis ac diris irretitas, in hanc extremam orbis partem, ab humanitate penitus semotam, relegatas crediderim. Quam meam sententiam, mirabiliter confirmari sensi, cum è Lerii Navigationis Brasiliensis cap. 16. cognoscerem, eundem idem sensisse, sedecim annis antè, quàm Hispani autoris, qui historiam generalem Indiæ scripsit, sententiam, de eadem re eandem cognovisset. Et sanè in his rerum obscuritatibus, nihil illa conjectura nobis magis verosimile occurrit, vel potius, nihil occurrere posse existimo. Hæc de nostri seculi navigationibus præfari volui, vir amplissime: ut nostrorum colloquiorum, quæ de his rebus, inter nos habita sæpè sunt, memoriam renovarem, accommodatam ad eam rem, quam tuo hortatu aggressi sumus. Te enim suadente, navigationem illam Anglicanam, é gallico sermone converti, quam Forbisserus Anglus, Septemtrionem versus suscepit. Quæ quoniam, te autore, latinè loqui cepit, ad te potissimum eundem redit. Sed præstat Pithoum ipsum exordientem & narrantem latinè audire.

Præ-

Translatio præfationis, gallicæ editioni præmissæ.

AD DOMINVM DE ALTO ET PVELMONASTERIO,

Commissarium rerum bellicarum ordinarium, præfatio *NICOLAI PITHOI, DOMINI de Chamgoberto.*

I.



ON DVBITO QVIN SI HOMINES ISTI, qui summum bonum opibus & divitiis metiuntur, quiq; illud Poëtæ semper in ore habent:

O cives, cives, quærenda pecunia primum;

in hanc historiam inciderint: quam primum de tot thesauris & immani opulentia, quæ in Septemtrionalis illius oræ visceribus abstrusa est, narrari audierint; statim beatos illius regionis incolas existimaturi, & cum iisdem, quantumvis barbaris, suam conditionem libenter permutaturi sint. Alij vero, qui miserias & calamitates, quas plerumq; hæ immensæ divitiæ & opes, tanquam comites secum adducunt, considerabunt: ij clades illius populi, & durissimam condicionem deplorabunt, dicentq; optandum, totam illam malorum escam, quam longissime ab illis esse remotam. Nam pro sua prudentia, animis cogitationeq; præcipient, sibiq; videre videbuntur, miseras gentes sub perpetuum durissimæ servitutis jugum redactas, quæ antea aureo quodam seculo, summa libertate & dulcissimo otio, longè ab inimicorum metu remoti, suo jure fruebantur, contenti rebus, quas terra ipsis, sua sponte suppeditabat. Deniq; superioris ætatis & aliorum populorum,

tristissimis eventis animo repetendis, de futuris conjecturam facientes, nequaquam dubitabunt, quin eadem aut similia his expectanda & perpetienda sint. Existimabunt enim eos omnibus his rebus, quas possident, spoliatum iri, futurumque ut in manus incidant exterorum, qui eos ex patria transportatos, collocaturi sint ubi sibi quam maxime expedierit. Quin etiam nullum alium eorum usum futurum, quàm fossorum, ad excavandam scilicet humum & rimanda terræ viscera, ut detegant thesauros, quos illa gremio suo abstrusos contegit: utque instar mulorum & jumentorum trahant vexentque auri massas, sine ulla spe præmij aut mercedis. Vxores ipsorum & filiæ, impurorum hominum violentiis & stupris objicientur, inquent: ipsi tributis onerati, ac naturali libertate spoliati, in indignam servitutem abducentur: tandemque cum terra omnibus thesauris exhausta, ipsi autem egregiè suis bonis nudati fuerint, indignissimè voci præconis subjecti, plus offerenti addicentur. Et ut in pauca conferam, hanc summam suæ cogitationis isti facient, fore ut cum his agatur, quemadmodum cum Indis & aliis pluribus actum sit.

2. Cæterum ii, qui saniore judicio præditi fuerint, oculos animi paulò altius attollent, considerabuntque quæ fœlicitas & prosperitas illis barbaris, pro his thesauris in terræ visceribus latentibus, parata sit. Nam hujus ætatis homines ita comparati & lucri cupiditate adeo inflammati sunt, ut sine spe alicujus emolumenti non facilè aliquis reperiatur, qui navigationem suscipere velit in illas regiones, quæ frigoribus torpent, montibus altissimis & glacie perpetua rigent, majore anni parte luce & splendore solis carent. ubi calidissima æstatis tempestas, ita frigida est, ut media apud nos hyems: adeò, ut si ita liceat dicere, in naturæ contemtum factæ videantur, ab hominibus barbaris, crudelibus & anthropophagis habitatæ. Itaque si illæ regiones omnino steriles & sine emolumento essent, periculum esset, ne perpetuò incognitæ manerent, nec ullo hominum commercio frequentarentur: quo fieret, ut hi quoque miseri homines, qui in his remotissimis regionibus hinc inde per vastas solitudines dispersi sunt, perpetuo illam vitam immanem & ferocem degerent, alieni ab omni civilitate, & spoliati usu rationis, quodque miserrimum est, privati vero & summo hominis bono, quod in agnitione Dei consistit, qui ideò hominem crea-

creavit & in hoc amplissimum theatrum collocavit, ut in eo & per eum gloria afficeretur. Nunc verò cum exploratum certumq; sit, istas regiones fertiles & auro divites esse, homines facilius allicientur, Deusq; Opt. Max. illorum iter secundabit, ut Evangelij communicatione barbari isti, ad mitiorem vitam traducti, assuescant ratione uti, & se ad humanitatem comparent: utq; è servitute diaboli (à quo hoc quidem tempore captivi tenentur) liberati, incipiant frui immensis illis beneficiis, quibus hactenus magno suo damno caruerunt.

3. Sed dicet aliquis, tam molestam & periculosam peregrinationem, nulla alia spe, nisi lucri suscipi: nihilq; minus quàm ipsorũ salutem & divinã in cognoscendo vero Deo regenerationem quæri. Et sanè, ut dicam quod sentio, non omnino fallitur qui ita existimat: quin & ipse quoq; credo, multò majorem partẽ eorũ, qui hanc peregrinationem suscipiunt, nulla alia re quàm avaritia & habendi acquirendiq; desiderio duci. Imò illi ipsi ingenuè fatebuntur, se, si sciverint, illas regiones planè steriles & sine ullo fructu esse, quantumvis populosæ fuerint, nunquam tamen pedem extra patriam posituros propterea esse. Sed in hac re quoq; incomparabilis & admiranda Dei Opt. Max. bonitas & providentia apparet, qui cum perpetuò paternam de salute hominum curam gerat, optimè novit, quando & quomodo res à se destinatas in effectũ deducere possit: & quidem ratione hominibus ignota & à judicio humano aliena, imò huic ipsi quandoq; repugnante. Quis enim (ut hoc potissimum exemplo utamur) existimaret fieri posse, ut homo, avaritia & pecuniæ cupiditate inflammatus, quiq; nihil aliud spectet aut propositum sibi habeat, quàm ut per fas & nefas immanes divitias sibi comparet: alteri prodesse, ejusq; commodum procurare possit? utq; is, qui in regionem aliquam, ad exhauriendas asportandasq; ejus divitias se contulerit, ad augendam eam, ornandamq; opibus autor esse possit? Neminem existimo, tam fatuum aut stupidum esse, qui affirmaturus sit. Verum operæ pretium sit considerare, quomodo Deus hæc omnia moderetur. Nam occulta quadam ratione hominum mentes ita incitat, ut quantumvis principiò longè aliud sibi propositũ, unamq; ditescendi metam sibi præfixam habuerint, ipsi tamen ignari & inscij, ad pietatis religionisque semina, in barbarorum istorum animis spargenda proficiscantur.

Id

Id quod accidet, ut spero, in his, quorum in hac narratione mentio fit, nisi ipsi sua ingratitudine & pertinacia suam salutem impedierint. Nec verò timendum est, ne idem his barbaris contingat, quod aliis similibus, quos historiæ, adeò crudeliter & immaniter tractatos esse testantur, ut sola commemoratio, horrorem audientibus incutiat. Nam quoniam illis res est, cum Regina tam humana, tam bona, tam pia, nullus exitus infelix pertimescendus est: cum certum sit, illam his rebus ea remedia adhibere, & pro sua prudentia ita providere posse, ut ea incommoda, quibus Indi expositi vexatiq; fuerunt, ab his Septentrionalibus arceantur prohibeanturq;.

4. HEROICVM.

Vos, quicunq; Deo vultis gens sancta vocari,
Et fertis populi laudem sub pectore fixam
Divini, ac magni gaudetis nomine Christi,
Vos inquam, memori decuit perpendere mente,
Quæ sors vestra esset: qua vos quoq; parte locati
Rebus in humanis, & quali munere sacris
Essetis tincti lymphis, iterumq; renati.
Nam nisi, qui dextra nos omnipotente tuetur
Spiritus, ingenti res nostras ferret amore,
Nil nostra vita pejus, nil tristius esset.
Aut si, quæ primo nocuit tristissima mundo
Vndarum illuvies, nostros quoq; sæva parentes
Fluctibus extremas rapidis pepulisset in oras,
Hospitia ut duri subeuntes frigida cœli,
Languenti terram colerent sub sole jacentem;
Haud dubiè ignaris vitæ, brutasq; secutis
Vivendi leges, non sensus Numinis ullus
Esset, & agrarum vixissent more ferarum.
Sic nova gens quondam, submersi conscia mundi,
Et subnata recens, artis famaq; superbos
Linquere cum vellet titulos, & ponere tota
Ingenij monumenta sui clarissima terra:

Vrbem

Vrbem struxerunt, & vastis molibus altam
Turrim eduxerunt, quæ cœlum vertice summo
Tangeret, & supra nubes se tolleret omnes.
Sed Deus, ut validæ monstraret robora dextræ,
Hos ipsos vario linguæ discrimine scissos
Hinc atq; hinc, partes mundi dispersit in omnes.
Sic alij sævis undarum fluctibus acti.
Ast alij audaci cæcaq; cupidine mentis
Confisiq; suis opibus dextraq; potente,
Terrarum varias longis ambagibus oras
Cæperunt late, & sylvas, camposq; jacentes.
Verum hos (extremas quicunq; remotius oras
Tentarunt, ausu circum præcordia magno,
Lentaruntq; maris longinqua aspergine remos)
Defecêre hominum vestigia longius. Ergo
Non illi quicquam cernunt nisi montibus altis
Pendentes scopulos, summæq; cacumina rupis:
Et tenebras, noctisq; umbras & inania spectra,
Et serum segnemq; diem: sol nascitur ægrè,
Lutea per nebulas ostendens pallidus ora.
Incurrunt oculis nocturni sydera cœli,
Et lunæ facies, modò quæ per inania cornu
Incedit gracili, & pallentes humida vultus
Ostendit, liquidis cum emersit nuper ab undis:
Et modò plena animis Phœbum se tollere contra
Audet, & obscuras evincit lumine noctes.
Illa quidem tempus vel quod jam protinus instat,
Vel quod præteriit, monstrat mortalibus ægris:
Non tamen est, certasq; vices, variosq; meatus
Illos qui doceat: mentemq; ad sydera tollat.
Qui primi terras adeò cepere remotas,
Hosce suas jam sub leges mors atra vocavit.
Successêre illis nati, natisq; nepotes,
Vtq; solent umbris involvere tempora densis

Humanos actus, ignorant turpiter ipsi
Quæ sint stirpe sati, aut genus unde ab origine ducant.
Nec quicquam, nisi quæ firmet præsentia, norunt:
Et credunt homines, velut ipsa animantia, natos,
Vt brutas habitent terras, rationis egentes.
Et quod deterius longè, longeq; dolendum
Est magis, haud illos tangit reverentia Christi,
Nec quid sit Numen verum, cognosse laborant,
Quæ spes una hominum, sanctæq; est plena salutis.
Tale hominum genus est, de quo hæc narratio scripta est,
Quos monstrat veluti pecudes ratione carentes
Vivere: quòd nihil est illis in fronte pudoris.
Non leges, non jura tenent, enormis & exlex
Gens, cui nulla usquam civilis portio vitæ est,
Humaniq; nihil: non ulla scientia rerum,
Aut sensus alij, quàm quos & belua sentit,
Vt quærant miseræ latebrasq; & pabula vitæ.
Namq; heu, vix hominum dignandi nomine, sicut
Bruta solent, herbis complent sua viscera crudis,
Labraq; concretis jungentes arida lymphis,
Vt canis exerta lambunt glaciem undiq; lingua.
Quin etiam (res mira & verè dira relatu)
Humana ventrem solantur carne voracem.
Insuper è pecudum gens hæc sibi pellibus, arctas
Contexit braccas, grandes quibus integit artus.
Sed non dulcis amor illi, non pectoris ardor
Cognitus est, quo nos ipsi nos inter amamus.
O gens extremis degens miserabilis oris,
Etsi nec nomen, tua nec mihi natio nata est,
Nec quibus auricomus radiis illustria tangat
Regna Deus, noctisq; atræ, lucisq; sequester;
Attamen humana cupio tibi prospera mente.
Fortunas en nosce tuas, en aspice segnis,
Quæ Deus è celso mittat tibi munera cælo;

Quas

Quas lintres hominesq; in curvo littore cernas.
Non veniunt ut te jugulent, mortiq; remittant:
Quod si divitias, & terræ viscere tectos
Thesauros quærunt: illos prohibere caveto
Littoribus, portu potius tectisq; receptos
In læti ducas penetralia maxima regni.
Hospitij pro jure ipsi tibi munera solvent,
Quæ nullo possunt extingui temporis ævo.
Tuq; Deus celsi Rex atq; creator olympi,
Cordi hujus gentis totis incumbe caminis,
Anglica ut hanc semper tutis accedere remis
Gens queat, & sancti dispergere semina verbi:
Vt veluti his nostris laudaris maximus oris,
Sic sub Parrhasia celebreris plurimus ursa.
Et velut angelici laudant per cœlica templa
Te cœtus, laudent homines glaciale per æquor.

5. ELEGIACVM.

Quid falsas quæris, quas laudat fabula, naves?
Et teris ingenio somnia ficta tuo?
Aut cur consumit bona tempora Iasonis arbor,
Et nunquam Euxino vellera visa sinu?
Quænam summa fuit tanti tibi, quæso laboris?
Anne, ut pro veris splendida verba feras?
Nullæ unquam pecudes, ex fulvo, crede, metallo
Gestarunt villos, auricomasve cutes.
Quin potius veras naves cognoscere tendis?
Hic Argo, Iason hic tibi verus adest.
Hic etenim regio fulvo preciosa metallo,
Hic bona non ullo sunt minuenda modo.
O nimium fœlix, omni & preciosior auro,
Si vigeat veri cognitione Dei.

NARRATIO HISTORICA, DE MARTINI FORBISSERI

Angli, navigatione, in regiones occidentis & ſeptentrionis, Anno CIↃ. IↃ. LXXVII. ſuſcepta.

Prima pars.

I.



CUM MULTI PRÆSTANTES Hujus ÆTAtis viri, jamdudum in eo elaborârint, ut regiones mundi,& terras antea incognitas & diuturna ignorantia abſtruſas, inquirerent, patefacerent & detegerent: & iis inquirendis, patefaciendisque laudem ſingularem acquirerent,& memoriæ poſteritatis ſuum nomen proderent: tum in primis, his proximis annis,Martinus Forbiſſerus, in horum numerum relatus, ſumma laude & prædicatione dignus eſt. Is enim Capitaneus Anglus, naturæ dotibus egregiis & animi præſtantia ac robore ſingulari præditus, cum eadem opera non modò patriæ prodeſſe, ſed & ſibi gloriam comparare deſideraret: conſtituit anno O. R. CIↃ IↃ LXXVII. navigationem ſuſcipere, verſus mundi regiones maximè boreales, in quibus nulla dum hominum, qui illuc penetraſſent, veſtigia impreſſa eſſent.

2. Principiò itaque iter ad Catainam & alias terras ac regiones finitimas, navigando verſus occidentem & ſepten-

trio-

trionem perquirere & aperire decrevit: qui curſus (quantum conjecturis aſſequi licet) eſt juxta latus Americæ ſeptentrionale & occidentale, inter corum & aparctiam ventos excurrens. Ajebat autem, Americam eſſe inſulam, in quam noſtri mercatores, occaſionem haberent navigandi, ſecundum littus noſtrum, quod maximè omnium Europæorum ſeptentrionale eſt, ad negotia & mercaturam, in Aſiæ regionib9, brevi temporis ſpacio, majore emolumento, minoreque ſumtu, quàm ex aliis regionibus, obeundam exercendamque.

3. Præfectus itaque noſter Forbiſſerus, ſuperiore anno CIↃ IↃ LXXVI. conſilium ſuum ac decretum, non ſine ſummo vitæ ac ſalutis periculo, eductis ſecum duobus myoparonibus, in effectum deducere conſtituit: ſed primis ejus ceptis fortuna defuit, quòd nimis intempeſtivè & tardè, alieniſſimoque tempore, ad deſtinatum locum perveniſſet. Jam enim frigore, glacie & pruina (quæ ſumma in illos locis, aſperrimaque ſunt) omnia ceperant peruri, adeò ut re infecta, eò unde venerat, reverti coactus ſit: unum illud adeptus, ut iter aperiret patefaceretque, quò poſtea audacius, & majore cum confidentia, tam peregrinam & barbaram oram adire poſſet. Prima tamen iſta navigatione, quinque ex ſuis comitibus amiſit.

4. Ille igitur incepti perficiendi, & id quod ſemel ſuſcepiſſet, ad exitum deducendi cupidus: reginam Angliæ inſtruit, quanto cum emolumento & commodo, ſuorum ſubditorum negociatio, mercatura & commercia, in illis regionibus exerceri poſſent: multaque dixit de modo & ratione, qua ad optata pervenire poſſet: commemoravitque ingentes fructus, quos inde haurire & conſequi liceret. Regina itaque, cum certius, an res ita ſe haberet, explorare cuperet: præfecto navem centum & octoginta doliorũ capacem, duoq; parva aphracta, commeatu & aliis rebus neceſſariis in ſemeſtre inſtructa, procuravit: additis epibatis centum & quadraginta

tam nobilibus, quàm propugnatoribus & remigibus, qui præfectum comitarentur: mandavitque ut priorem cursum relegerent, & ulterius, quam antea fecissent, progrederentur.

5. Nos igitur mandatum Reginæ secuti, é Blakevalle (distante duabus leucis aut circiter Londino) d. XXVI. Maij, Anno CIↃ IↃ LXXVII solvimus: ancorasque jecimus in portu Harvvickio, ubi ea, quæ ad nostras naves instruendas necessaria videbantur, comparavimus.

6. Ad ultimam dicti mensis diem, cum ancoras subduxissemus, & in tutelam Dei Opt. Max. nos commendassemus: vela ventis dedimus. Itaque leni vento & secundo velificantes, remos inhibuimus circa insulas Orcades, vulgò appellatas Orkney, quæ numero triginta, Scotiæ adjacent; illicque aqua recente naves nostras oneravimus. Noster præfectus, nobilibus & militibus suis, è nave egrediendi & se recolligendi potestatem dedit. Sed quamprimum nos incolæ illarum insularum conspexerunt, in fugam effusi, tuguriisque suis & casulis derelictis, ad arma conclamare, & cæteros, ut in hostium adventu, excitare cæperunt. Verum nos tum nutibus, tum amicis significationibus id effecimus, ut ad sua mapalia redirent. Hic tantus pavor, tantaque consternatio, quam illis noster adventus attulit, argumento mihi fuit, miseros illos homines, à piratis & maritimis prædonibus, qui eos in fugam compulsos, sedes suas relinquere cogant, frequenter infestari.

7. Ædificia illorum & domicilia, valdè ruditer & nullo propemodum sumtu, é silice & sine ullius fumariis extructa sunt. Ignem in mediis ædibus excitant: in quarum una parte paterfamilias, cum tota familia cibum & somnum capit: in altera, sub eodem tecto pecus stabulatur. Genus est hominum, ab omni civili cultu alienum. Lignis carent, sed eorum usum explent, cespites terreni & boum excrementum. Aliquid

quid leguminis, frumenti, avenæ habent: quarum rerum vectigal suo regi pendunt. Præcipuè verò piscatus exercent. Est enim in hac insula magna vis & copia piscium, quos ad solem & ventum exsiccatos induratosque reponunt. Cibos perquam sordidè paratos, sine sale comedunt. Habitus & vestitus, planè rusticano more, ad similitudinem Scotorum rusticorum est comparatus. Nummos viles & nullius precii possident. Religione nihil à Scotis differunt: habentq; templa illorum templis simillima. Sed quoniam piscatores Anglicani, & ii qui in Islandia piscaturam exercent, horum mores vivendique rationem melius depingere possunt quam ego, illis ipsis hæc describenda relinquo.

8. Postquam ex hoc portu egressi sumus (quid factum est d. VIII. Junij,) cursum perpetuò tenuimus inter Corum & Aparctiam, usque ad. IIII. Julij. Quo toto temporis spacio, tam raræ noctium tenebræ fuerunt, ut ne obscurissima quidem earum noctium impedire potuerit; quò minus & libros legere & tempus fallere pro suo libitu quisque nostrum potuerit. Quæ commoditas in tam longinquo itinere, tamque spatioso & amplo mari navigantibus non parva est: præcipuè verò cum venti ab omni parte ingruunt, & undæ spumantes ultra solitum inflantur. Veruntamen hoc beneficium tam illustris noctis, non durat ultra sex hebdomadas in illis locis: nimirum tum duntaxat, cum Sol Tropico Cancri vicinus est. Verum ubi poli exaltatio est septuaginta aut octoginta graduum, ibi diutius durat.

9. Cum jam itine sex dierum ab Orcadibus abessemus, toto illo mense, sine intermissione ingentes & proceras abietes, quæ maris undis agitabantur, & sine controversia ingentium torrentiũ impetu evulsæ, & in mare præcipitatæ erant, obvias habuimus. Islandi nulla alia materia ad calefaciendum utuntur, eamque in litore suo colligunt: crediderimque has

arbo-

arbores é novo orbe deferri æſtu maris, qui à Favônio in Subſolanum reciprocando excurrit.

10. Ad IIII. diem Julij ad Frieslandiam appulſi, ingentes glaciei inſulas vidimus, quæ X. aut XII. leucis ſeu dimidiatis totidem Germanicis milliaribus, à noſtri littoris latere abeſſe nobis videbantur; quarum quædam longitudine dimidia leuca, quædam plus minusque ſe extendebant, quantum conjectura aſſequi poteramus, oculorum enim ſenſus, eas vix XXX. aut XL. orgyias æquare judicabat. Certi verò de his nihil affirmare licet, præſertim cum in iſto loco, maris profunditas tanta ſit, ut nulli uſui nobis bolis fuerit.

11. Nos quidem ſperaveramus fore, ut in his locis fragrantiſſimorum ſuccorum, & liquorum ſuavisſimo odere reficeremur, & avium dulciſſimo cantu demulceremur, ſicut in aliis regionibus & locis accidit, quæ ſub temperatiore zona ſunt. Sed ſpes noſtra nos longè fefellit. Nam etſi menſe Junio & Julio in has oras penetraveramus, tempeſtas tamen adeò aſpera & difficilis fuit, ut vix aſperiorem difficilioremque navigantibus accidere poſſe exiſtimem. Diverſi enim, iisque aſperrimi Boreæ flatus, grandine & nive commixti, usque adeò nos oppugnarunt, ut crederemus naturam rerum everſum & terræ cœlum mixtum iri: & ut paucis complectar, videbatur nobis æſtas ſubita commutatione in hyemem converſa; quod, ſcio, incredibile propemodum & παράδοξον videbitur illis, qui cogitant alias regiones Septemtrioni proximiores (quales ſunt quæ ſub LXX. gradu jacent) multo eſſe temperatiores, quam iſta ſit, ubi poli exaltatio non excedit ſexageſimum primum gradnm. Glacies toto iſto latere durat & perennat, non aliter quam vallum aut murus continuus, ut ea ratione propugnaculi vicem illi regioni præbeat, & eum qui accedere velit, ſummum vitæ diſcrimen adire cogat. Præfectus noſter triduum integrum, inſtructis navibus, periclitatus

tūs eſt, an ad terram appellere poſſet: ſed cum animadverteret, nulla ratione ſe voti ſui compotem fieri poſſe, coactus eſt infecta re diſcedere & ſuum conatum in aliud commodius tempus differre.

12. Sunt præterea in tota illa acta excelſisſimi montes, perpetua nive contecti, exceptis quibusdam jugis, quorum vertices adeò ſunt acuminati, ut in his nives hærere non posſint, ſed impetu & violentia ventorum impulſæ, ad terram deferantur.

13. Præterlegimus illud littus ita integro quatriduo, ut nullum indicium aut veſtigium appareret, quo ex colligere poſſemus terram iſtam habitari. Vidimus quidem avicu-las aliquas, quæ propter tenebras & nebulas denſas, quibus iſta regio obnoxia maximè eſt, à terra aberrantes, in noſtra navigia inciderunt. Unde conjecturam fecimus, terram illam habitabilem, & interius amœniorem ac mitiorem eſſe, quam foris prima fronte promitteret.

14. Ex eo loco ſolvimus a. d. VIII. menſis Julij. Ad diem XVI. animadvertimus terram, quam præfectus noſter à prima ſua navigatione vocaverat Der Königin Vorland / hoc eſt, primam Reginæ terram. Inſula eſt, ut exiſtimamus, proxima continenti ſubjectæ, quam Americam vocant, & ex altero latere oppoſita inſulæ, quam noſtræ navis magiſter, inſulam Hasleam vocabat, quæ valdè vicina eſt continenti Aſiæ. Inter has duas inſulas fretum eſt, à præfecto Forbiſſero Strictum cognominatum, per quod (ut opinio fert) navigare licet, in mare Auſtrale, quod vulgò del Sur dicitur: etſi id nondum exploratum eſt.

15. Neque verò unquam adduci poſſum, ut credam ullam aëris temperiem, tantam ſub iſto cœlo eſſe, quam diu ſol per Septemtrionalia ſigna incedit (quod ſpacium eſt dimidiati anni & unius diei) quæ tam vaſtos & immanes glaciei agge-

res (quos rectè excelsis & monstrosis montibus comparare posis) rumpere & dissolvere queat, & inde has ingentes quadras detrahat, quæ, ita ut dictum est, in mari fluctuant: præsertim cum maxima solis altitudo non excedat viginti tres gradus & triginta scrupula prima. Potius itaque crediderim, aliunde id accidere, nimirum aut ab impetu & vi aliquorum torrentium, aut minimum à violentia æstuum marinorum variè reciprocantium. Sed ut rem in pauca conferam, tanta frigora sensimus, priusquam istam terram attingeremus, ut nisi longitudo dierum aliud nos docuisset, uno momento & ictu oculi, in rigidissimam asperrimamque hyemem nobis delati videremur.

16. Verùm id nos omnium maximè attonitos habuit, quòd primo nostro adventu, ex omnibus partibus nihil nisi arduas & densas glacies conspicere potuimus, ita ut primo aspectu aliud suspicari non possemus, quam freta ista ingenti glacierum muro munita & conclusa esse: quæ res animos nostros ad desperationem propemodum adegit. Sed præfectus noster animi magni & fortis vir, cum in eas regiones penetrare, & Deo benè juvante, iter hoc patefacere, licet omnia pericula sibi proposita sciret, omnino decrevisset: adeò militum suorum animos erexit & incendit, ut quàm ipse pro Reginæ servitio & patriæ emolumento ad audendum paratus esset, tam promtos alacresque ad sequendum eos redderet. Itaque cum duobus myoparonibus, quos secum ea de caussa adduxerat, bis secundum littus orientis & insularum adjacentium, ultro citroque trajecit. Interea navis & duo aphracta, ne à glacie ipsis periculum esset, in alto se tenebant.

17. Interim dum præfectus noster terram illam inquireret, & ripæ appropinquaret, aliqui ejus regionis incolæ, conspiciendos se nobis exhibuerunt, saltantes & cum clamore ineptisque gesticulationibus tripudiantes, quæ nos admiratione

tione suspensos tenuerunt. Præfectus nihil non tentavit, omnemque lapidem movit, ut eos ad se alliceret, omnis generis blanditiis demulsos: donaque obtulit illis, cultellos & alias ejusmodi nugas ac apinas tricasque. Verùm tam suspicaces, cauti & versuti erant, ut nihil é manu nostra accipere vellent, signisque quibusdam demonstrarent, ut si quæ illis donare vellemus, in terram exponeremus. Quod cum fecissemus, dona nostra accipiebant, & loco permutationis aliquid contra suarum rerum relinquebant: alia ratione, nullam nobis fidem habituri erant.

18. Tandem duo ex illis, positis armis, contra præfectum veniebant, qui vicissim ad illos properavit, suisque seriò mandavit, ne se commoverent: statimque omnibus amicitiæ & benevolentiæ signis, rectà ad eos ire perrexit, id agens ut alterum ex illis in suam potestatem adduceret. Sed illi nullo modo eum expectare sustinuerunt, seseque celerrimè in fugam conjicientes, resumtos arcus sinuare, & in præfectum sagittas emittere cœperunt, nullo metu nostrorum, qui ad eos terrendos præstò erant. Veruntamen etsi sedulo sibi caverent, duos tamen ex illis cepimus, quorum alter nobis elapsus est, alter captivus permansit: ex reliquis verò plurimi vulnerati sunt.

19. Illi, quos præfectus noster, ad præsidium & tutelam, nostræ navis & duorum aphractorum reliquerat, interea dum is regionem illam & insulas à latere ripæ orientalis adjacentes inquirit: à procellis & impetu maris ita oppugnati fuerunt, ut vix evaserint, timuerintque, ne in altum delati, præfectum nostrum, qui parum commeatus secum habebat, é conspectu dimitterent. Quod ne ipsis accideret, tempestatem ingentem, quæ circa mediam noctem illis supervenit, & furiosam oppugnationem, qua à glaciebus vastis & ingentibus oppugnabantur, magno animo sustinuerunt; adjuti noctis

claritate, quæ hoc tempore perpetua erat: & industria dexteritateque præfecti tormentis, qui artis nauticæ peritissimus erat.

20. Postridie (qui erat XIX. Julij,) præfectus ad nos cum læto nuntio rediit. Affirmabat enim, ingentes opes post illos steriles & desertos montes latere. Spes igitur illa, qua tam immensos auri thesauros jam planè devoraveramus, ingentem nobis lætitiam attulit; omnemque sensum malorum & laborum, quos perpessi eramus, ex animo nostro delevit: metumque ac cogitationem periculorum, quæ præterita nocte adieramus, ademit. Nihil igitur aliud spectabamus, quam ut angore & animi tristitia omissa abjectaque, quàm primùm sitim auri expleremus, & cupiditati nostræ infinitæ, quocunque modo satisfaceremus, vix tantas spes animo capientes, existimantesque vix fieri posse, ut tantum desiderium nostrum, ulla auri quantumvis divite vena, satiari posset.

21. Quatriduo post nostrum, ad fauces & angustias ejus transitus appulsum, Zephyrus & Corus, glacies hinc inde dispergentes, aditum & transitum nobis ampliorem latioremque effecerunt, ita ut ad XIX diem dicti mensis, sine ullo impedimento ingressi simus. Sequente die, cum præfectus noster lat9 occidentale, bolide demissa exploraret, amœnum locum pro nave & duobus aphractis, quæ adducta erant, & ad permanendum in anchoris idoneum & tutum deprehendit. Omnes igitur vivi & sani appulimus, uno excepto, qui morbo consumtus est. Hanc stationem appellavimus Jacmans Sonde, hoc est fauces Jacmanni. Sunda enim vocabulum est angustas maris fauces indicans.

22. In summa, qui in has regiones navigare velit, is secum ita rationem subducat, ut cogitet, non solum per ventorum asperimos & impetuosos turbines & maris fremitus terrificos; sed etiam per insulas plurimas & montes glacie concretos, planeque horrendos visu, sibi navigandum esse. 23. In-

23. Interea dum in illa acta naves nostræ in ancoris stabant, observare eas diligenter cogebamur, & perpetuò contis, longuriis & remis machinisque ingeniosis amoliri & depellere magnos cumulos glacierum, quæ in frusta prægrandia & quadras ingentes divisæ, hinc inde secundum æstus maris, contra nostras naves, non sine periculo fluctuabant.

24. Præfectus noster, cum diligenter perlustrasset & obiisset terram illam, quæ Americæ subjecta continens est, nihilque votis & optatis suis dignum reperisset, abiit cum duobus aphractis parvis, versus marginem orientalem, quæ continens est, Asiæ subjecta & vicina; ibique navem, quoad ipsi commodum videretur, reliquit.

25. Lapides illius continentis versus Americam, radiis solis percussi, ita lucent & scintillant, ut aurei videri possint. Sed hic quoque verum, deprehendimus esse vulgatum proverbium, quo dicitur: non omnia esse aurea, quæ auri colore luceant. Nam spe nostra frustrati, invenimus pro thesauro lapides splendentes.

26. In hac ripa occidentali invenimus piscem mortuum, qui undis maris agitabatur, & in rostro unicum cornu rectum gerebat, longitudine unius ulnæ cum semisse. Cornu autem intus cavum erat, & superiore parte fractum. Quidam ex nostris injecerunt in id araneas, quæ é vestigio moriebantur. Itaque nobis videbatur esse monoceros marinus. Et sanè experti postea sumus, easdem vires & qualitates habere, quas monocerotis cornu habere dicitur.

27. Posteaquam præfectus noster, idoneam stationem pro navibus invenisset, & auri tantum quantum volebat collegisset: misit nostrnm magistrum cum aphracto, ut navem adduceret. Cumq; bolide exploraret locum, quem invenerat cum oram occidentalem legeret, animadvertit procul, duo tentoriola, pellibus balenarum tecta, in eoq; paucos homines:

mines: qui quàm primùm nos conspexerunt, in fugam effusi, in montes se præcipites contulerunt. Itaque magister navis nostræ, ad tentoria illa perrexit, & cum in his aliquot cultellos, tintinnabula, specula & alias ejus generis apinas reliquisset, discessit relictis omnibus rebus, quas ibi invenisset, excepto uno cane, quem secum ad navem abduxit.

28. Eodem die, consilio habito, constituimus omnia experiri, ut barbaros istos mitigaremus & ad nos alliceremus: aut ad minus aliquos exciperemus, ut ex iis, si fieri posset, cognosceremus quid nostris hominibus factum esset, quos superiore anno amisissemus.

29. Cum ejus rei gratia, ad eum locum, ubi tentoria vidimus, accessissemus, animadvertimus eos tentoria loco movisse, & ad littus in angulum, qui in mare excurrebat, transtulisse: ut si aliqui, qui se persequerentur, supervenissent, in navigiola sua se conjicere & fuga saluti consulere possent. Quo animadverso, nostros in duas cohortes divisimus, & circumdato monte, in quem se contulerunt, cum impetu in eos irruimus. Verùm quàm primùm nos ipsis visi sumus, rectà ad navigia sua, maxima parte remorum relicta, confugerunt: cumque naves essent ingressi, enavigarunt totum illud littus, ubi nostri myoparones illos consecuti, ut in terram se præcipitarent, coëgerunt: quod sanè non fecissent, si illis omnium remorum suorum copia fuisset, & frustra tempus in illis persequendis consumsissemus.

30. Quamprimum in littus exscenderunt, furioso impetu cum arcubus & sagittis suis, in nostros irruerunt: sed nos nostris telis complures illorum sauciavimus. Cum igitur se vulnerari cernerent, ex alto se in subjectum mare præcipites dederunt & se submerserunt, nihil nisi hostile de nobis timentes: cum nos salutem potius illorum nobis propositam haberemus, si modò nostræ fidei se credere voluissent. Sed, ut gens

gens omnis civilitatis & humanitatis expers, & misericordiæ in extremis periculis ingnara, remedium à morte petebat, seque immitibus maris undis submergere, quàm in nostram misericordiam confugere malebat. Alii cum viderent, quonám res suorum sociorum recidissent, statim montes occuparunt. Duæ tamen mulieres, cum fuga elabi non possent, loco vectigalis remanserunt: una propter senectutem, altera propter onus infantis quem gestabat. Ista vetula tam deformis & turpis erat, ut nobis horrorem incuteret, suspicabanturque nostri homines, eam esse veneficam, quæ causa fuit, ut illa dimissa, juniorem cum infante retineremus. Hunc locum appellavimus Blondi ponit, hoc est, angulum sanguinis.

31. Verùm enimverò, cum cognovissemus barbarorum istorum furias & crudelitatem, & quod nulla amicitia illos nobis adjungere possemus: constituimus, inviti & præter voluntatem nostram, deinceps severius cum illis agerere; ideòque reversi, omnia vastavimus, quæ in ipsorum tentoriis erant, statimque nos in nostras naves recepimus.

32. Divitiæ ipsorum, nec in auro, nec in argento, nec in gemmis, nec in tapetibus consistunt. Lintres habent pellibus balenarum & cervorum tectas. Canes ipsorum similes lupis sunt: nisi quòd omnes ferè nigri sunt. Habent & aliam supellectilem, sed quam curare operæ precium non sit.

33. Tandem cum in isto occidentali latere, quod Americæ subjectum & continuum est, ferè quindecim dies in ancoris stetissemus: tertio die Augusti discessimus, & quarto ejusdem, nostrum præfectum in littore orientali invenimus: ibique bolide missa terram invenimus, quam Annam Warvvickan à nomine Comitissæ appellavimus.

34. Nostro præfecto placuit, in hac insula, naves & duo aphracta onerari, lapidibus mineralibus quos invenisset: ut

hoc, quasi symbolum primæ & secundæ navigationis solveret, eosque, qui vitam suam in hac expeditione periclitati essent, pro meritis suis remuneraretur. Tot laboribus exhaustis, divino beneficio, incidimus tandem in auri tantam copiam, tantumque thesaurum, ut imitati diligentiam nostri præfecti, à primo die Augusti, ad XXII invenerimus & terrestri itinere adduxerimus, ducenta dolia, quas Tonnas vocant, existimantes, hoc pondus satis esse, ad navem nostram & duo aphracta oneranda: sperantesque fore, ut Deo benè fortunante, & Régia Majestate permittente, in posterum plus lucri faceremus, ex tali beneficio, quod regionis illius septentrionalis viscera, quæ hucusque incognita & abstrusa erant, nobis pollicerentur.

35. Interea dum commoramur in illa insula, aliqui regionis illius incolæ, alio atque alio tempore, secundum littus, sed è longinquo se nobis conspiciendos dabant. Noster itaque præfectus, cupidus cognoscendi, quid cum illis, quos in prima navigatione amisisset, actum esset: sumtis secum paucis, quorum præsidio uteretur, ad eos perrexit, & per signa, quid sibi vellet, ostendit. Illi quoque ipsi, primo adventu, signis quibusdam nobis indicabant, tres de quinque illis nostris adhuc vivere, & se petere atramentum & papyrum, quæ ad illos deferrent: se intra triduum aut quatriduum redituros: nos verò credebamus, fore ut eos quoque secum adducerent. Significarunt etiam nobis, se Regem habere, qui vocaretur Cacoughe, qui à servis succollantibus gestaretur: hominem esse quadratum & robustum, quique longitudine & crassitie, longissimum robustissimumque quemvis è nobis excederet.

36. Nos itaque papyri folium, atramentum & calamos illis dedimus; quæ tamen de nostris manibus accipere noluerunt: sed in terram poni jussa, nobis discedentibus sustulerunt. Idem perpetuò fsciebant cum aliquid cum ipsis permutare vole-

volebamus, relinquentes tot res de suis, quot nobis in compensationem earum, quas à nobis accepissent, dare volebant. Quæ res argumento nobis fuit, illos commercia agitare cum aliquibus populis vicinis, aut ab ipsorum regione hos non procul esse dissitos. Quatriduo post, aliquot ex barbaris reversi sunt, sed non eodem loco quo illos vidimus: quæ res, principiò nostrum præfectum summa lætitia affecit, quum speraret fore ut hac vice aliquid de suis audiret. Itaque sumpto navigio & sociis aliquot, ad eos perrexit. Illi quam primum præfectum conspicati sunt, in gaudium effusi, signo dato monuerunt, ut ad angulum quendam insulæ illius appelleret, in quo in insidiis ingentem suorum turbam collocarant. Noster verò præfectus dolo intellecto, noluit diutius ibi hærere, signoque illis dato ad suam navem reversus est.

37. Cum aliquando præfectus noster littus illius regionis cum duobus myoparonibus legeret, ea de causa, ut in reditu res suas melius & tutius disponere posset; accidit ut conspiceret eminus tres candidos, qui tamen non minus astuti erant quàm nigri ipsorum socii: innuentes nobis ut ad se accederemus. Præfectus noster perpetuò sperans, aliquid se posse de suis cognoscere, appropinquavit littori, sed animadvertit majorem numerum eorum esse, quam aliâs fuisset, qui se post cautes & colles occultarent. Hi tres plani, qui personam impostorum egregiè sustinere noverant, omnibus modis id agebant, ut nos é navi egressos ad se allicerent. Cum autem nos non moveremus, nec blando vel vultu vel sermone illos exciperemus, diligentius nobis innuere ceperunt, simulantesque se nobis esse amicos, tres se solos & inermes esse monstrabant. Cum verò cernerent hæc omnia se frustra tentare, unus ex illis nobis obtulit carnem, quam posuit in ora littoris, existimans, se hoc bolo nos allecturum & persuasurum, ut in-

terram egrederemur, ut exinde nos comprehensos, cibum suum facerent. Sed hanc illorum astutiam facilè subòdorati, uncum illis projecimus, cui infixerunt carnem, eamque ad nos pertractam, obtulimus viro & mulieri, quos ceperamus: qui cibus, quoniam nostræ vivendi rationi nondum assueti erant, illis valde gratus accidit. Sic barbari isti, quanquam se valdè callidos & astutos existimarent, sua tamen spe & opinione frustrati sunt.

38. Verùm enimverò, his minimè contenti; accidit ut unus eorum, qui se claudum & elumbem simùlabat, littori paulatim appropinquaret, & quasi se pedibus sustinere non posset, sicubi iter impeditum aut difficile erat, socii humeris se injiceret. Tandem cum ad littus venisset, & in terra consedisset, socii ipsius, ipso solo illic relicto, abierunt, existimantes fore, ut nos ad eum capiendum veniremus. Sed præfectus noster, qui facilè intelligebat, quid monstri hic aleretur, jussit, quendam ex militibus, glandem é bombarda, versus hunc barbarum mittere: quo facto, cum arena & glarea in illius oculos insilirent, in momento in pedes se conjecit, & instar vertagi, ne expectatis quidem sociis, qui sibi suppetias ferrent, ocissimè se eripuit, & ad suos se contulit; qui cum se occultassent, eodem momento, cum arcub9, sagittis, telis & fundis, in apertum se dederunt. Noster præfectus, quadraginta circiter glandes, é tormentis manuariis mitti jussit, quibus complures vulnerati sunt. Atq; hæc unica ratio est, eos in posterum in metu continendi, quandoquidem benevolentia adjungi non possunt.

39. Hoc totum est, quod de nostris sociis, perquirere potuimus, & hoc responsum est, quod ad litteras suas, præfectus noster accepit. Sed ex his callidis & malitiosis technis, facilè intelligi potest, quæ natura sit horum barbarorum, quos toties periclitati sumus. Existimamus autem has technas, illos usur-

usurpâsse ideò, ut recipere per eas possent, suos populares, quos ceperamus.

Secunda pars.

MORES, VITA, VICTVS, habitus, horum populorum.

I.

BArbari isti, qui in illa regione habitant, sunt valdè magno corpore, bonæ proportionis, colore adusto & simili nostrorum rusticorum, qui ut vitam sustentent & victum comparent, in locis ardori solis expositis perpetuò laborant.

1. Capillos ferunt satis longos, & in extremo eos radunt lapide acuto aut instrumento instar cultri facto. Mulieres prolixos crines alunt & duobus nodis laxis constringunt, qui illis in oculos incumbunt, secundum bina tempora: quod reliquum est, nodo adstrictum, in cervicem rejiciunt. Quædam ex his, acicula cutem scarificant, lacerantque mentum, frontem & exteriorem manuum cutem, postea colorem cerrtum cæruleum, qui diu in his cicatricibus durat, superinducunt.

7. Cibo suo, vel carnium vel piscium, crudo utuntur: nisi quod aliquando sanguine & pauca aqua, (qua postea pro potu utuntur) coctum comedunt. Inopia aquæ utuntur glacie, quæ æquè dura est ac lapis, qua tamen ita delectantur ac si saccarum esset.

4. Deficientibus aliis cibis, manibus herbas regionis, in qua degunt, evellunt, easque devorant, non quidem delicatè apparatas, acetarii instar, ad acuendum excitandumque lan-

guentem ſtomachum: ſed ſine ſale, oleo & aceto, & illotas; easque prorſus ut beſtiæ rationis expertes ad ſedandam famem devorant. Nullus illis uſus menſarum, ſcamnorum, ſedilium, aut mapparum. Vice mantilium ad extergendos digitos lingua utuntur.

5. Canes ipſorum, ut diximus, lupos referunt, quos ſub jugum miſſos aut numellis incluſos (ut apud nos boves aut equos helciarios) & traheæ junctos, onera rerum ſibi neceſſariarum ſupra glaciem vehere cogunt: cumq; nullus eorum amplius uſus eſt, eos mactant & devorant.

6. Veſtes geſtant ex pellibus ferarum quas occiderunt, conſutas ex earundem nervis vice fili. Omnibus feris, quas capiunt, pelles detrahunt, ex quibus conficiunt certum genus veſtis, quo hyemis rigorem & frigus, quod illis ferè perpetuum eſt, arcent.

7. In veſtitu ſuo geſtant capitium ſeu cucullum & caudam, quæ illis inter pedes dependet, quam ei donant, cui gratificari, aut ſingularem amicitiæ & benevolentiæ ſignificationem dare volunt.

8. Non ſolum viri, ſed & fœminæ geſtant femoralia anguſta & ſtricta, quæ integra & ſine ulla partis anterioris ſciſſura, à medio corpore ſeu lumbis ad genua usque ſe porrigunt. Tibialia verò ex pellibus piloſis conſtant, quarum pilos ad pedes intrò vertunt; & bina aut terna paria conduplicata geſtant, præcipuè fœminæ. His caligis recondunt cultros ſi quos habent, acus item, aciculas & alias nugas quæ illis uſui eſſe poſſunt. Os quoddam prælongum tibialibus immittunt, quod illis à calce ad genua porrigitur, ad quod extendunt tibialia, & ea affigunt uncino, qui in ſummo oſſis eſt, quo utuntur loco periſcelidum, ne tibialia decidere queant.

9. Magna ſolertia pelles cum pilis parare ſciunt, quas & plicatiles reddunt. Hyeme pilos intrò ad pedem: æſtate

toras.

foras vertunt: neutro tempore aliis quàm pelliceis istis vestibus utuntur.

10. Feris, piscibus & animalibus, quæ in venatu capiunt, pro cibo, potu, vestitu, ædibus, lectis, caligis, calceis, filis, velis navium, & aliis rebus necessariis utuntur: in summa, omnes divitiæ ipsorum in his rebus consistunt.

11. Habitant in tentoriis ex pellibus balenarum factis, quæ quaternis ramis abiegnis quadratis & in summo instar capreolorum fastigiatis & conjunctis, ceu tigillis sustinentur. Pelles ipsæ, quæ illis abiegnis tigillis injiciuntur, nervis consutæ sunt. Portæ seu ingressus tentoriorum, semper versus meridiem aut solem spectant.

12. Habent & aliud genus tentoriorum, quod ex una pelle factum est ad arcendas pluvias, erectum lapidibus aut ossibus balenarum. Horum ostia similia sunt præfurniis: sed cum in his tentoriis non habitent, existimo eos his uti ad tetegendum se, cum piscatum aut venatum exercent, eaque illic relinquunt quoad necessitas postulat.

13. Arma illis sunt arcus, sagittæ, tela, fundæ. Arcus ligneos habent longitudine ulnæ, quos nervis exterius vinciunt firmissimè, sed sine glutino. Chordæ arcuum item ex nervis sunt; sagittæ ex tribꝯ partibus constant, nec duos quadrantes longitudinis habent. pennisque duabus alatæ & ossibꝯ inferiore ac superiore parte armatæ sunt. Tres differentes cuspides jaculis suis præfigunt: quarum una est lapidea aut ferrea, cordis figura: altera ossea, cuspide hamata: tertia etiã ossea, sed anceps & utrinque acuta. Veruntamen nisi é propinquo emittantur, graviter accidere non possunt. Duorum generum habent jacula: quorum unum in summo habet multas osseas furculas, sicut & in medio, habentque certum quoddam genus instrumenti, quo illas vibrant & emittunt dexterrimè: alterum est multò majus & fortius, habetque os anceps,

quod utrinque incidit instar gladii; existimoque hoc illorum nocentissimum telum esse.

14. Duûm generum naves habent: unum corio intectum, & multos ligneos circulos intus habens, valdè affabre factum est. Ejus generis, unumquodque potest capere XVI aut XVII homines. Vela benè tenuia & consuta sunt, ex visceribus animalium quæ occiderunt. Alterum factum est instar radii textoris: quod unius tantum hominis capax est, unoque tantum remo indiget.

15. Prædictis instrumentis & machinis, utuntur in piscatu, venatu & feris capiendis: sed de ratione & modo utendi, nihil certi affirmare possum.

16. Non existimo ordinariam illis sedem & domicilium in his locis esse, ad quorum frigora repellenda, ædificia ista & vestitus ejusmodi non sufficerent. Adhæc in eo loco, ubi casulas istas vel potius vulpium latibula vidimus, nullum vestigium semitæ aut tritæ viæ apparuit, aut ullum aliud indicium, quo colligi possit, an habitaretur illa regio, an minus. Et sanè videntur mihi, cum in æstate piscationem aut venationem exercent, illa absoluta, uno in loco, mutare sua tentoria & in alium locum transferre; cumque tantum victus, quantum hyemi transigendæ sufficit, acquisiverunt: redire in eum locum, ubi suas sedes habent: idque sterilitas terræ me credere facit.

17. Ferrum quoddam habent, quo jaculorum cuspides fabricant, item parvos cultros, & alia utensilia & instrumenta, ad laborandum in suis navibus, quæ tamen sunt inhabilia, & tractatu difficilia, atque ad usum inepta.

18. Credo, illos commercium exercere, cum aliquibus populis, cum quibus, pro ea re qua abundant, ipsi ferrum permutando accipiant. Valdè delectantur, rebus splendentibus & tinnientibus.

19. Qua-

19. Qualem religionem colant, quam Dei cognitionem habeant, aut quæ idola adorent: pro certò dicere non possumus. Credo illos anthropophagos esse, hoc est, vesci carne humana. Vescuntur quoque morticinis & piscibus mortuis, etiamsi fœtorem cadaverum referant.

20. Nulla bestia aut reptile venenatum aut noxium hic reperitur, exceptis quibusdam araneis: quod multi, pro signo auriferæ regionis habent. Verum, muscas quasdam parvas, alit illa regio, quorum morsus tam acer est, ut locus ab ipsis admorsus, in continenti intumescat.

21. Innuebant nobis signis quibusdam, sibi vicinos esse aliquos populos, qui in fronte & aliis corporis partibus, laminas auro splendentes ferant.

22. Regio hæc angusta & in utroque latere valdè est excelsa. suntque ibi montes & rupes, nivibus profundissimis tectæ. Parum herbarum, quæ muscum arborum referunt, producit. nulla ibi ligna sunt. Et ut in pauca conferam, nihil hic crescit, ne radicum quidem, aut aliarum rerum, quæ aliis, quàm ipsis qui ibi nati sunt, utiles esse possint. Sunt quidem ibi cervi multi numero, quorum pellis, asinis nostris similis est: caput verò & cornua, longè excedunt magnitudinem eam, quæ in nostris cervis cernitur. pedes eorum, magnitudine æquant pedes nostrorum boum, suntq; crassitie octo pollicum. Sunt etiam ibi lepores, lupi, ursi marini, & omnis generis feræ.

23. Sicut autem regio sterilis est, ita & homines stupidi, bardi & sine omni ingenio sunt. In terra colenda & tractanda se non exercent, sed contenti sunt rebus, quas ea sponte producit. Venatione vivunt, & ferarũ carne cruda vescuntur. Potus est illis, sanguis ferarum calidus, nec aliud illis curæ est, quàm ut ventrem expleant: in eoque uno sita est, ipsorum fœlicitas & summum bonum.

24. Ex

24. Ex multis conjecturis apparet, ſæpè magna fulmina incidere, & terræmotus fieri in hac regione. Apparent enim ſaxa montium & rupium loco motarum & hinc inde diſperſarum disjectarumque, miris & præternaturalibus modis; id quod, ut ego exiſtimo, violento terræ motu accidit.

25. Nulli fluvii, nullæ dulcis aquæ ſcaturigines, in hac regione apparent: excepta aqua ex nive liquefacta & ſolis vi ac calore reſoluta, qualis in æſtate ferè eſſe ſolet: alterius aquæ nullum veſtigium apparet. Imo diligentius conſideranti non videtur ibi aqua aliqua eſſe poſſe. Nam violentia frigoris, quæ in his regionibus quovis tempore ſumma eſt, ita concludit terram, ut ſcaturigo aquarum erumpere nulla poſſit, ſicut aliis in locis contingit, ubi ſcaturigines illæ in rivulos abeunt, qui levi murmure per ſaxa & crepidines in ſuperficie terræ decurrunt. Quin illa quoque æſtiva aqua, ex nivibus liquefactis de montibus deſtillans, poſteaquam in terram ſe diffudit, uno in loco collecta ſtagnum efficit, quod tamen ſtatim à terra abſorbetur. Cujus rei unica cauſa eſt glacies illa, quæ his in locis tam denſa eſt, ut ubi ſiccior terra apparet, ibi ea interius usque ad quatuor aut quinque orgyias glacie concreta depræhendatur: quin & ſaxa cum glacie tam arctè cohærent, media etiam æſtate, ut nullo modo, nullaque vi divelli poſſint.

26. Illud itaque efficitur, ut per cauſas jam commemoratas, curſus & ſcaturigines aquarum impediti, quò minus é terra emergere poſſint, aliò cogantur ſe vertere, perque venas ſuas redire, ut in mare exeant, propter ſummum illud frigus, quod tamen calori in terra contento incrementum præbet, ut ad alenda omnis generis metalla ſufficiat.

Ter-

Tertia pars.

REDITVS DOMVM.

I.

POſtquam navigia noſtra, divite illa vena nuper inventa oneravimus, conſtituimus relicta illa regione domum redire. Solvimus igitur oram ad quartum diem Augu-ſti, læti ac gaudio ob rem tam proſperè geſtam exilientes. *H*æc enim ſumma noſtri deſiderii erat, certò illam regionem cognoſcere, & quam commoditatem utilitatemque præberet, explorare.

2. Omni contentione & ſtudio navigandi elaboravimus, ut ad diem XVII. Septembris Angliam attigerimus, & tandem in portum Milfordenſem pervenerimus, ubi præfectus ad ſalutandam Regiam Majeſtatem, & ut cognoſceret ab ea, in quo portu naves appellere vellet, à nobis diſcesſit.

3. Poſtquam ad Regiam Majeſtatem pervenit, incredibili lætitia eſt exceptus: cumque ampliſſimè de ſua navigatione retuliſſet, juſſus eſt à Regina, naves & quæ in his eſſent, Londinum regni metropolim adducere. Quo facto, cum ad fluvium Tameſim perveniſſemus, ſumma gratulatione & maximo gaudio excepti fuimus.

4. Sylveſtris ille & mulier cum infante, quos ex illa barbara natione adduximus, Reginæ fuerunt oblati: omniumque præcipua expectatio erat, fore ut in adventu ſuo, aliquos inſolitos geſtus ederent: ſed ſuo more ſemper quietos ſe oſtenderunt, nec ullum mutatæ mentis ſignum dederunt, niſi quod admiratione tangi videbantur, ex inſolito hominum conſpectu.

5. Signis quibusdam & ore etiam significarunt, viri nomen esse Calichoe, mulieris Egnoge, & infantis Nutioc.

6. Unæ illæ delitiæ & ludi, quos hic sylvestris edidit, cum esset Bristovii, hi fuerunt, quod cum videret tubicinem præfecti nostri equum conscendere, idem facere volebat, sed planè contrario modo, facie ad caudam conversa. Delectari autem maximoperè visus est, cum equum crura in sublime jactare cerneret.

7. Quamdiu vixit, Regina ei permisit, ut omnis generis aves liceret illi in flumine aucupari, etiam cygnos, quorum tanta in Tamesi copia est, ut totus propemodum ab his contegatur. Alioqui sine permissu Reginæ, sub pœna suspendii id nemini licet.

8. Alebantur hi sylvestres, suô more & consuetudine, carne scilicet cruda. Accidit aliquando ut occiderent damam, eam devorarunt unà cum visceribus & excrementis.

9. Non potuêre in vita diu conservari. Nam brevi post adventum nostrum vir & mulier mortui sunt, relicto infante XIV. aut XV. annorum.

10. Nobis quidem Deus Opt. Max. ita sua gratia affuit, ut non nisi duos é nostris amiserimus, quorum unus morbo victus é vita decessit: alter é navigii foris, procellæ vi impulsus, in mare decidit, ubi piscibus esca factus est.

11. Duo quoque aphracta in nostro reditu aberrarunt, unum ad XXVII. mensis Augusti, alterum ad XXXI. idque propter tempestatem & tenebras, quæ tum inciderant. Veruntamen alterum Bristovii Dei beneficio appulit: alterum verò, quod Scotiam versus iter tenuerat, ut Jermutham iret, postea non comparuit.

12. Atque hæc summa est earum rerum, quæ nobis in hac nostra navigatione memoratu digniores occurrerunt: cætera tempus docebit, cum ulterius progredi, Regiæ Majestatis jussu nobis licebit.

13. II.

13. Illud ad extremum addere placuit, ex hac Forbisseri navigatione, quam in has Septemtrionales regiones suscepit, intelligi posse, quantoperè veteres à vero aberrarint, qui duas zonas, circulis polaribus inclusas, ob ingens & perpetuum frigus, cœliq́ue asperrimam intemperiem, inhabitabiles esse crediderunt. Nam nos, Dei beneficio planè diversum asseverare possumus, nimirum non solum habitabiles, sed etiam habitatas esse ab hominibus, licet sylvestribus, bardis, stupidis, indomitis, ac vero rationis usu carentibus. Et quanquàm illæ Septemtrionales regiones, perpetuis nivibus & glaciebus obductæ sint, solisq́ue radii ob debilitatem, & quia à terra non refringuntur, illas dissolvere non possint: nihilominus tamen Deus Opt. Max. qui dedit hominibus terram inhabitandam, sua infinita & admiranda bonitate & potentia, eas quoq; regiones, quæ falsò habitari non posse credebantur, ita temperavit, ut homines ibi durare possint: eaq́ue illic germinare, crescere & provenire jussit, quæ hominibus & animantibus illic degentibus, ad vitam sustinendam necessaria & utilia essent.

Finis navigationis Forbisseri.

ANNOTATIONES.

Pag. 1. Num. 2. Catainam.

Ataina amplissimum Magnæ Tartariæ regnum est; quæ per vastissimas & latissimas Orientis solitudines, ad utrumq́ue Oceanum Orientalem, ex una parte, ex altera ad Tanaim & Persidis ac Turcorum regnum extensa, utramq́ue Scythiam & multas alias terras, ut Sericam, Ariam, Sinarum regionem, ad quam Lusitani accedunt, complectitur. Principem totius generis Magnum Chamum nominant. Regia sedes est civitas Gombaleschia, cujus ambitus duodetri-

 ginta

ginta millia passuum habere perhibetur, hoc est, septem milliaria Germanica. In eadem est urbs Quinsea, cujus ambitus (ut M. Polus Venetus scribit) superat centũ millia passuum, habetq; 12000 pontiũ tantæ altitudinis, ut naves onerarias explicatis velis facilè admittant. Quod Bodinus fabulosum putat.

Pag. 2. Num. 2. America. America dicitur novus orbis, ab Americo Vesputio navigationis duce detectus. Americus enim ille, post Columbum Genuensem, anno 1497. jussu Regis Castiliæ, eam regionem ingressus est. Unde Adolphus Mekerchus.

Inferiore solo, quam cernis, America dicta est:
Quam nuper vectus pelago Vespucius audax
Vi rapuit, tenero nympham complexus amore.
Illa oblita sui, castiq; oblita pudoris
Nuda sedet totum corpus, nisi vitta capillos
Plumea vinciret, frontem nisi gemma notaret,
Ambirent teretes nisi tintinnabula suras.
Lignea clava olli in dextra: qua mactat obesos
Atq; saginatos homines, captivaq; bello
Corpora, quæ discissa in frusta trementia, lentis
Vel torret flammis, calido vel lixat aheno.
Vel, si quando famis rabies stimulat mage, cruda
Et jam cæsa recens, nigroq; fluentia tabo
Membra vorat, tepidi pavitant sub dentibus artus,
Carnibus & miserorum & sanguine vescitur atro.
Horrendum facinus visu, horrendumq; relatu.
Quid non impietas designat barbara? quid non
Contemtus Christi?
Aspicis in læva fœdatum cæde recenti
Humanum caput. En arcum celeresq; sagittas,
Queîs solet, adducto dum flectit cornua nervo,
Vulnera certa viris, certamq; infligere mortem.

Mox.

Mox defeſſa hominum venatu tradere ſomno
Membra volens, lectum contextum rarius, inſtar
Reticuli, gemino à palo quem fixit utrinq;,
Conſcendit, textoq; caput reclinat & artus.

Pag. 3. Num. 5. Londino. Londinum, à C. Cæſare Trinobantum (ut plures exiſtimant) nuncupatum, totius Britanniæ regia, multarum gentium commercio nobilitata, exculta domibus, ornata templis, excelſa arcibus, & denique rerum omnium copia atque opum affluentia valde mirabilis. Invehit in eam, totius orbis opes, ipſe Tameſis fluvius, ſtatis horis Oceani æſtibus ſuperbus & tumidus, & onerariis navibus, ab oſtio per ſexaginta millia paſſuum ad urbem tuto ſemper & præalto alveo navigabilis. Ripas undique peramœnæ villæ, prædiis atque nemoribus diſtinctæ paſſim exornant: ab inferiore, ſcilicet parte, Regia domus Grinvicia, ita Anglicè à viridariis appellata; & in ſuperiore Prætorium nomine Ricemundum; in medio autem nobilis ſtructuræ exurgit Weſtmonaſterium, ab occidua parte urbis, foro judiciali ac Petri templo, Regum ſepulcris exornato, longè clariſſimum: atque item vigeſimo lapide à Londino, regium caſtrum Vindoſoriæ, ſecedentis regis peramœna ſede, aliquotque regum ſepulcris & Garetteriorum ſodalium cerimonia percelebre. Olores autem agminatim, læto occurſu & feſtivis cantibus ſubeuntes claſſes excipiunt, ac undique retia ſiluris atque ſalmonibus expanduntur. Jungitur ad urbem lapideo ponte, ſtructura mirifici operis, nec ullis imbribus augetur, cum unis tantum æſtibus intumeſcat. Aulæ & foro Gallicus ſermo familiaris eſt, adeò, ut ad nobiliores etiam fœminas perveniat.

Pag. 6. Num. 14. Mare auſtrale. Auſtrale pelagus hic intellige, non quo rectà in Auſtrum navigatur, aut quod polo Antarctico ſubeſt. Sed cum Indica continens duplici utrinque Oceano alluatur: qui in Meridiem & Occidentem vergit,

Auſtralis & vulgo Mare del Sur: qui in Orientem & Septemtrionem, Septemtrionalis appellatur, vulgò Mare di Tramontana. Verum mare illud Auſtrale, Vaſcus Nunez Valboa primus reperit, moxq́ue ejus oræ præfectus deſignatus eſt.

De Septemtrionali maritimo in Tzinam itinere, obſervationes, natæ ex colloquio cum doctis Geographis, hac de re inſtituto; in Amici gratiam adjectæ.

I.

BArentſen, Hutſons, Pontani & aliorum nota eſt ſententia, qui impoſſibilem hanc navigationem eſſe negant. Neque hanc prolixe repetere, neque rationes hujus ſententiæ examinare in præſenti animus eſt.

2. Ex relatione Ruſſorum quorundam colligere licet, illam eſſe poſſibilem, ſi minoribus navibus tentetur. Quidam in Siberiam antè aliquot annos relegati, terreſtri & maritimo itinere in Tzinam profecti ſunt, ſed per inſulas aliquot & fluvios, non verò per vaſtum illud Septemtrionale & Tartaricum mare, in quo *frigus iners habitant, pallorq;, tremorq;, & jejuna fames*: quæ mala, in Novam Zemlam navigantes experti ſunt.

3. De freto Anian & promontorio Tabin, utrum dentur, nec ne: nihil certi afferri poteſt. Non deſunt, qui fretum Anian omnino dari negent, terrasque Aſiæ & Americæ Septemtrionalis cohærere dicant. *Hos, quia experientiæ teſtimonio refutare non poſſumus, in medio rem relinquimus*, inquit Bertius, in B.O.T. De loco quoque promontorii Tabin, manet controverſia, diverſas Geographorum tabulas conferenti obvia. Non ſine ratione quidam mirantur, cur tamdiu inveſtigatio freti Anian, quæ ex Indiâ Orientali in Septentrionem inſtitutâ navigatione inchoari potuiſſet, dilata ſit.

4. Via

4. Via per fretum *H*udſon, Davis, & Forbiſſeri; perque Buttons, Baffins & Smits Bay, ſinumque Munkii, per Americam Septemtrionalē, verſus Septentrionem & Occaſum, ſucceſſu caruit, & propter cohærentiam Americæ, Aſiæ & Grönlandiæ, aliarumque Septemtrionalium terrarum, carebit. Aut nulli, aut barbari homines ibi inveniuntur. Glacie, inivis, nebularum, ventorum, maris & portuum in primis incommoda, difficultates & mala, etiam in æſtate tranſeo.

5. Via per fretum Naſſovicum vel Weygats, & Obium fluvium, ut & alia, inter Spitzbergam & novam Zemlam, per Willonghbes, Meyen, Tuerre inſulas, terram Marzin, aut alia quoque loca Aſiæ viciniora, in mare Aſiaticum Septemtrionale, curſu in Orientem inſtituto, ut hactenus, ita porrò fruſtra quæritur. Ut de freto Anian nihil repetam, promontorium Tabin, ſola fama nulla experientia notum, (circà quod Aſiam acutum angluum facere putant,) adhuc in dubio eſt. Credibile eſt, à quibusdam auriferas potius terras in Septemtrione quæri, quam tranſitum per Septemtrionem in Indiam. Fruſtra per Islandiam & Frislandiam in occidente: fruſtra per promontorium Nortcaep dictum, fruſtra per Novam Zemlam, Orientem verſus via illa quæritur.

6. Nova Zemla, ſi Bertio fides, 4. grad. auſtralior eſt Grönlandiâ, ſecundum alios 2. & dimid. gr. tantum. Spitzberga à gr. 77. ad 80. uſque cognita eſt. Ulteriora novæ Zemlæ ſive terræ novæ, Spitzbergæ ſive Neulandiæ, Grönlandiæ Americæ, & Tartariæ Septemtrionalis, incognita ſunt: & fortè etiam manebunt. Neque ultra gr. 80. (al. 81. 82.) progredi licebit. Qui balænas quærunt, ultra gr. 76. raró progrediuntur, ſed intrà 70--76. gr. manent.

Pag. 10. Num. 26. Monocerotis cornu. De monocerote Jovius lib. 18. hiſtoriarum ſic ſcribit. Monoceros animal unicorne, pulli equini forma, colore cinereo, jubata cervice, hir-

cina

cina barba, bicubitali cornu armatam frontem præfert, quod levore candoreque eburneo & pallidis distinctum spiris, ad obtundenda hebetandaque venena, mirificam potestatem habere dicitur. Cornu enim immisso & per lymphas circum ducto, fontes expiari perhibent, ut salubriter bibantur, si inde virosæ bestiæ præpotarint. Id vivo animali non detrahi, cum ullis insidiis intercipi nequeat. Cornu tamen sponte decisum in desertis reperiri, ut in cervis accidere videmus, qui ex senectæ vitiis, renovante natura, vetus cornu exuunt, venantibusque relinquunt. *H*oc cornu, regiis impositum mensis, toxica si qua sint epulis indita, emisso statim admirabili sudore, convivis prodere narrant. Cæterum de vi tantæ dotis in hoc animante, nihil plus affirmaverim, quàm quod evulgata fama credentibus suadet: cum antiquorum autorum nemo, quod legerim, præter unum Ælianum Græcum, quicquam de hac monocerotis admiranda potestate prodiderit. Hæc ille. Arngrimus Jonas Islandus, in Crymogæa sive Islandiâ, piscem cornutum Nahual aliis Narwal dictum describit, quod carnem habeat hominibus noxiam, quâ pro cibo uti non liceat. si homo eam comederit, moritur. Dentem in parte capitis antica, longitudine VII. cubitorum fert, quem pro unicornu vendunt, vim antidoti contrà venena ei adscribentes. Longitudo hujus piscis est ulnarum XL. *H*æc ille.

Qui animal unicorne, quadrupes, tomento, superinductâ cute & habitu exteno servato referctum, Romæ, Madriti & Florentiæ viderunt, Jovii ferè verbis, id nobis describunt. De monocerote pisce certa & explorata res est. Controversiam verò de monocerote terrestri & quadrupede, subinde agitatam, nostram non facimus.

APPEN-

APPENDIX.

Ad Lectorem.

NE aliquæ pagellæ hic vacarent, quædam ex Jovio, Longolio & Lullo adjecimus, quæ historiam illam novi orbis jucundiorem efficerent. Tu igitur Lector, his fruere & vale.

JOVIUS LIB. XXXIV.

I.

NOn ineptum hoc loco fore existimaverim, si qui hæc repererunt, tanquam publica laude dignissimi, memoriæ prodantur. Nam postquàm Columbus Ligur, admirando ingentis animi captu, eruditoque judicio vir, & uti quibusdã apparet, Hercule Græco, inusitatæ famæ gloria major & illustrior, alterum propè terrarum orbem, vasto atque intentato prioribus seculis Oceano, ad Occidentem nobis aperuit. Non defuére alii atque alii ex Hispanis, eo apud Hispalim defuncto, qui pari æmulatione laudis & spe quæstus, eadem littora sequuti, ulteriores novæ terræ, quam Pariam vocabant, terminos quæritarent, dispari quidem fortuna suscepti cursus, quum nonnulli eorum (ut credi par est) immenso inexploratoque absorpti Oceano, nusquam apparuerint, & aliqui ab Anthropophagis, qui Canibales appellantur, capti comestique, fœdam miserabilis audaciæ memoriam reliquerint.

2. Ea terra æquatori subjecta (ut suo loco memoravimus) à Gaditano freto, rectà inter occidentem atque meridiem navigantibus, emenso bis mille amplius leucrarum itinere, occurrit, frondoso ingentium rupium promontorio, tanquam

roſtro Oceanum proſcindens. nam æquis lateribus littora infinito tractu, hinc ad occidentem, illinc ad meridiem immenſis adhuc ſpatiis extenduntur. Sed poſt Columbum, tres ante alios ex Hiſpania, felici auſu, & rebus geſtis maximè clari & memorabiles extiterunt. Ferdinandus in primis Corteſius, qui in poſtremum occidui littoris ſinum delatus, ad Mexicana regna terreſtri itinere contendens, ſubactis Indis, Themeſtitana urbe potius eſt, quum fabricatis navigiis, eam urbem ſalſo in ſtagno poſitam, ædificiisque & incolarum frequentia, Venetæ urbis inſtar admirabilem, multis proſperè factis præliis expugnaſſet. Mexicanæ genti, ſuperis vivos homines, ſed maleficiis damnatos, immolare fas eſt, placarique numina humano ſanguine credunt, & poſt mortem non interire animas perſuaſum habent, ut credi par eſt, ex diſciplina ſuperſtitioneque Druidarum, quorum ſumma authoritas antiquisſimis temporibus in Gallia pariter atque Britannia viguiſſe conſtat. Ita ut Corteſio non omnino difficile fuerit, ſubactam armis gentem per ſe ingenioſam & docilem, tormentorumque miraculo terrefactam, ad Chriſti cultum, abdicatis idolorum ſuperſtitionibus, traduxiſſe: literas enim jam noſtras admirantur & lubenter diſcunt, rejectis hieroglyphicis imaginibus, quibus annales conſcribere ſolebant, variis picturis rebus, quibus annales conſcribere ſolebant, variis picturis rebus ſuorum memoriam poſteris tradentes. Quorum annalium volumen, ex perpetuis, ſed introrſus complicatis foliis confectum, tigridisque maculoſo tergore protectum, vir illuſtris Franciſcus Covos, Cæſariani ſcrinii magiſter, mihi dono dedit.

3. Mexicanos pro rege ſuo & pro libertate dimicantes, nulla res magis exterruit, quam equeſtris turmæ impetus, quum equitem integrum eſſe animal Centauri ſpecie putarent. Sed poſtquàm equi duo Indicis confoſſi ſparis, mactatique clavarum ictibus conciderunt, depræhenſo errore, detracta

tracta statim equis coria, usq; adeo exactè tomento repleverunt, ut vivorum effigiem repræsentarent, & in templo tanquam admirabilis rei spectaculo suspenderent. Cæterum Cortesius, è Mexicana regione per occidentalem lineam terrestri itinere profectus, non longè abesse maria ab incolis didicit, paucisq; diebus ad littus exterioris Oceani perventum est, unde, si classes adessent, peti posse consideret per Antipodas, Sinarum regna, Catainasq; oras ad orientem nostrum, jampridem aditas Lusitanis, à quibꝰ non longè, in eo tractu, beatæ multo aromate atq; unionibus Moluccha insulæ, sub æquinoctiali linea sitæ esse dicerentur. At Cortesio, perpetuis Hispanorum historiis celebrato, claritate nominis æquari potuit Blascus Nonius, nisi turpissimo vitæ exitu, pristinæ laudis decus obscurasset. Ab hoc enim, diu pervagante Pariæ terræ & Darienæ regionis littora, repertus est isthmus ad Urabanum sinum, quo duo ingentia maria dirimuntur. A Comogro siquidem ingentis amnis ostio Darienisque littore, per inaccessos prope montes, monstrantibus iter indigenis, Blascus summa juga tenuit, & subjectum in adverso littore vastissimi pelagi sinum conspexit, in quo auri & unionum ditissima regna reperta sunt, atq; item conspectæ aditæq; aliquot insulæ earum rerum opulentia insignes. Itaque invento multo auro, Blascus breviorem transitum quærens, non plus inter se distare diversa maria quàm centum milliaribus depræhendit, sicuti in Oceaneis decadibus Petrus Martyr Anglerius scitè refert, verum itinere adeò densissimis nemoribus & abruptis petris, frequentibus fluviis impedito, ut non nisi magno cum labore periculoq; illac nostri permeent, quum passim inhospitæ ac insidiosæ gentes venenatis instructæ sagittis occurrant. Quibus de causis Blascus ejus tractus regulis, aut muneribus delinitis, aut cruenta acie subactis, quatuor castella, ut commeantibus ab utroq; mari tutissimus esset receptus, opportunis intervallis constituit, ædificata etiam classicula in proximo portu, cui divo Michaëli nomen fuit. Cæterum dira auri sitis noviq; imperii libido, Blasci animum non multò post occupavit, eo rerum exitu, ut affectati regni crimine damnatus, capite plecteretur. Indignus certè eo supplicio, nisi perfidiose defecisset: quòd ad lævam longo tractu Peruana & Cuscana regna auro & gemmis scatentia, successoribus Almagro atq; Pizarro demonstrarit. Ibi enim ferunt nullam aliam, quàm solido ex auro privatis in domibus vasorum omnis generis supellectilem reperiri. Montium rupes ingenitis adamantibus,

præcipueq; ſmaragdis,& cyanis & carbunculis collucere,flumina propè univerſa auream arenam trahere. Solum fœcunditate rerum omnium incredibili,& perpetuò ferè Autumno florere. Ex mira quoq; cœli clementia, homines integra valetudine, ſeculi ætatem implere, ſic, ut intempeſtiva mors Blaſci videri poſſit,quo authore,tanta, ut diximus,vis auri & gemmarum in Cæſaris ærarium deferatur.

4. Sed ſupra Corteſium & Vaſchum,portentoſa navigatione inclytus fuit Magalanes Luſitanus exul, qui auſpicio Cæſaris alterum Pariæ terræ littus in orientem obverſum,quinque navium claſſe percurrit,legendoq; oram, prætervectus lineam capricorni atq; oſtia immenſi Argentei fluminis, uti Hiſpani vocant, ferorũ gigantũ inſtar, prægrandes homines belluarũ pellibus contectos reperit. Nec multũ inde,uti avidè quærebat,prope antarcticum circulum,in anfractuoſas fauces audacter invectus eſt,non inani conjectura judicans,novi orbis terras illac irrumpente Oceano eſſe permeabiles,eumq; profecto ſinum,non longo tractu in apertum ad occidentem pelagus deſinere. Neq; eum ratio ex naturæ lege deducta fefellit,qua terra omnis circumfluente Oceano variis ſinibus ambitur. Ad lævam nivoſæ rupes ſpectabantur,ſuis culminibus primam aëris regionem excedentes. Eæ pertinebant ad eam plagam perpetuo gelu (ut credi par eſt) rigentem, quæ antarctico ſubeſt. Sed nec in ea cœli parte polus, uti apud arcticum contingit lucidiore aliquo aſtro notatur, quum parvæ ſtellæ, nullo vel certè languido fulgore nitentes,polare punctum deſignent,duabus nubeculis, ſtabili pigroq; rotatu, immobilis poli ſedem ita circumeuntibus, ut urſæ noſtræ tenorem & ſpeciem nautis obſervatoribus, nusquam fallente magnetis uſu certiſſimè præbeat. Procedenti per occiduam lineam Magellani, tortuoſæ & inæquales ſemper fauces occurrebant, mare autem modò fluctuoſum, ſpumoſisq; vorticibus & ſævo mugitu reboans, modò tractabile & pigrum, prout objectis incideret cautibus,aut in latos ſinus expanſum deferveret, vario velorum flexu perſulcabat, nusquam arctiorem ſinum trium milliarium ſpacio, nusquam ſeptem latiorem nactus, quum à dextra depreſſiora littora arboribusq; veſtita,nulla tamen apparente hominum cultura,ad lævam verò cuncta gelu horrentia, maximeque ſcopuloſa ſpectarentur, collucerent tamen ad dextram excitati introrſus ignes ab incolis,ut de adventu novæ claſſis proximis populis ſignificarent. Cæterùm Magellanes diu crebris orationibus ſuſtentatos

tos delinitosque nautas, qui jam animos despónderant, quod neq; progredi neq; regredi, nisi incerta vitæ spe posse crederent, post vigesimum & septimum diem, ex quo sinum intrasset, in apertissimum vastissimumque Oceanum eduxit, ad dextram vela deflectens, utpote qui terras ad antarcticum ultimæ continentis esse putaret, & ad lævam mitiora omnia se inventurum arbitraretur. Quando jam ad tropici capricorni circulum, & ad ipsam æquatoris lineam rediret, sub qua Moluccas, quas quærebat, insulas omnino sitas esse didicisset. In dextra itaq; Peruana & Cuscana regna, totumque illud immensum Pariæ terræ occidentale littus relinquebantur, quod Blascus post transcensum Urabanum isthmum, Hispanis successoribus, ad condenda regna, serendaq; etiam, propter auri sitim, intestina prælia demonstrarat Nihil. n. inde Magellanes terrarum usquam vidit, præter duas insulas, quæ desertæ appellantur, perhibentq; eas cosmographiæ periti, ex diametri ratione Italis esse antipodas. Discessit inde Magellanes planè consumto omni commeatu, lenissimis atq; his uno tempore perennibus usus ventis, trimestri confecto cursu, obversis semper ad æquatorem proris, non Moluccas quidem attigit aromatum pretiosorum fertilitate celebratas, verum immensi propè ambitus insulas, Javanam, Pornem & Subutham, ipsa Britannia majores, é quibus Moluccæ satis exiguæ, sed præstantia rarioris aromatis insignes, incolarum digitis tanquam propinquæ monstrabantur.

5. Sed Magellanes fatalis voti sui compos, in limine qui eas viderat, adire non potuit: cum Mauthane siquidem insulæ regulo, Suethani socii regis auspicio, acie dimicans occubuit: eiq; suffectus est Serranus, qui nihil commodius duxit, quàm ab his insulis inhospitaq; terra perfidiosæ gentis protinus excessisse, quòd sibi ad paucos redacto, numerosa bellicosæ ejus gentis manus, justum incuteret metum, quoniam ferreis gladiis & præpilatis hastis uterentur. Verum dum adit regulos Serranus, amicitiasq; & fœdera jungere, ac Christianæ religionis cultum inducere contendit, & quod instituti erat, naturam & magnitudinem Moluccarum scrutatur, regulis uno consensu adversus peregrinos ad arma concitatis, in Bornæ insula captus, misereque à sociis desertus est, qui insidias veriti, publicam salutem novi ducis libertati & vitæ anteponendam censebant. Atq; ita cariophyli & cinamomi nucisq; myristicæ surculos ex natali solo colligentes, ut testimonii certam fidem refer-

ferrent, ex quatuor navibus vetustate semicorruptis, duas magna cura, usi illarum armamentis, materia & clavis, refecerunt, Eurisq; vela dantes incogniti Oceani immensis spaciis usq; adeò audacter se crediderunt, ut prætervecti auream Chersonesum, & Samotram, quæ Taprobana olim fuit, Gangeticiq; item sinus emporia, & Cumerum promontorium, ac denique Calecutham superarint, nusquam à Lusitanis conspecti, qui Indicam oram præsidiis obtinebant. Inde verò ad Bonæspei promontorium cursum habentes, eo superato, dextrorsum per Æthiopiæ littora ad Hesperides insulas contra Praxium promontorium, altera tantum navi, non amplius quàm viginti duo homines semivivi pervênere. Ibi qui totum undique emensi orbis ambitum circuierant, Barbarorumque mille insidias & omnem maris sæuitiam evaserant, à Lusitanis insulæ præsidibus custodiæ traditi sunt.

6. Nec multò post tamen ex his Hieronymus Plegaphæta Vicentius, voto pro salute redituq; suscepto, ad Clementem Romam venit. Is tanto subternavigati orbis miraculo fidelib9 testimoniis comprobato, multa nostris admiranda, observandaq; posteris, pictura & scriptis adnotata deposuit: sic ut Magellanes nihilo felicior Blasco, sed inusitata laude præstantior, existimari possit, nisi inauditi antea freti faucib9 adinventis, tantæ rei infirma adhuc fides famam elevaret, quum nemo hactenus à vigintiquinq; annis eas fauces sedulo quæritans intrarit aut viderit. Neq; operæ pretium esse reor, ut à legentibus hoc loco & ad historiæ contextum properantibus, veniam deprecer, quòd me ii tres viri, inclytis heroibus comparandi, ab instituto longius abstraxerint, quando eos omni laude ad perennem nominis famam exornandos putem, veterum Græcorum more, qui ingeniorum fœcunditate & gloria pollentes, non ipsos modò admirandarum rerum & regionum inventores, sed minorum etiam artium opifices, carminum suorum præconiis, æternitati consecrarunt.

Christophorus Longolius Octaviano Grimoaldo S.

I.

CONsumsi hesternum diem ferè totum cum Fr. Chærecato, viro, qui nec à litteris nostris abhorreat, & multis magnisq; de rebus à

Pont,

Pont. Max. ad Cæſarem ſæpè legatus ſit. Is cùm mihi multa de Cæſaris imperii magnitudine atque opibus narraſſet, oſtendit ad extremum monſtrificas quaſdam rerum ſpecies, quas ab Indorum regibus ad Cæſarem miſſas, atque ſibi ab eodem Cæſare donatas eſſe affirmaret. Eæ magna ex parte gemmæ quædam ampliores fuerunt, tam confuſis metallorum generibus, ut neque diſcretum quicquam in eis appareret, & multarum etiam animantium ſimulacra exprimerent, eaque non tam fortuito linearum colorumque concurſu, quàm ipſa extantis materiæ mole confirmata. In iis erant anatum roſtra, gallicorum canum capita, pavonum pennæ, atque alia id genus pleraque.

2. Verum omnium admirationem facilè vicit, ejus quæ apud Indos religioſiſſimè colitur, Furiæ perſona, non nativa quidem illa, ſed hominum ingenio preciosè & affabrè deformata. Audiſti enim puto, mira iis gentibus ſuperſtitione eſſe perſuaſum, Deam & Furiam ſic mundi imperium inter ſe initio diviſiſſe, ut illa cœlitibus, hæc inferis & manibus jus diceret: atque ita fieri, ut dum hanc unam ſibi placatam trepido metu cupiant, eam omni etiam divini cultus honore proſequantur. Lignea igitur ejus eſt perſona, ſed cui tenuiſſimum vermiculati operis emblema ita inductum ſit, ut penicillo depicta, non gemmeis teſſellis ornata videatur. Mentum, ſuperiusque & inferius labrum, Cyanei lapilli ſegmentis enitent. Naſus, genæ, malæ, buccæ, ſaphiri micis ſplendent. Supercilia à fronte tenui ex jaſpide tenia diſtinguuntur. Frontem latior è ſmaragdo faſcia præcingit, quæ ſecundum aures leviter demiſſa ad mentum usque utrinq; porrigatur. Superiora rutilo jaſpidis nitore colluſtrantur. Os hians dentes oſtentat quatuor, latos, continuos, candidos, ac item duos, qui rictum hinc atque hinc claudant, exertos, nec aprugnis abſimiles. Eburnei quoque oculorum orbes, ex electro ruffa feneſtrantur pupilla, ſpeculi vim tam abſolutam reddente illa, ut totam hominis imaginem exprimat atque repræſentet. Quæ ad ſuperciliorum & naſi commiſſuras ſubſidet lacuna, ea verò eburneola bulla expletur. Tempora autem iisdem quibus oculi, electrinis ſpeculis illuſtrantur: ſed teretibus iis, non orbiculatis. Auriculæ pro perſonæ modo grandiores ex jaſpide effulgent. Omnino res viſenda quidem illa, ſed ſtructura potius & opum magnitudine, quàm ulla liberalis faciei dignitate. Mihi quidem, ut primum ejus ſpectandæ poteſtas facta eſt, Furiam videre ſum viſus, aſpectu barbaro terram & horridam,

ore

ore hianti, exertis utrinque dentibus, colore partim cæruleo, partim viridi, partim rutilo, nec eo tamen usquam satis florido, sed vel austero, vel diluto, vel pingui, vel etiam, quod umbrarum concursu evenit, obscuriore & ingrato. Vale.

Antonius Lullus Hispanus.

I.

INdorum gens illa novi orbis (quem Columbus primum Ferdinando & Isabellæ regibus Hispaniarum Buxolæ beneficio investigavit, & sub Carolo V. Imp. postea magnis laboribus Hispani cum Cortesio, Valboa, Pizarro & aliis ducibus regno Hispaniæ addiderunt) præter figuram nihil planè habuisse humanitatis comperta est: nullum pudorem, nullam amicitiam, nullam fidem. Nam (paucis aliquot principibus eorum demtis, quos oratione usos ferunt & rationibus) cæteros à beluis differre nihil dixeris, præter faciem: quanquam & hanc ipsam miris modis deformant, ne homines esse videantur, sed serpentes potius aut crocodili. Feris omnibus truculentiores, occisorum in bello hominum membra palpitantia mordicus depascunt, sanguinemq; sugunt, ex iisdem corporibus, vulturũ in morem: quod neq; lupi neque ferarum genus ullum sic in suam similitudinem meditatur: & fabulæ instar videri posset, nisi tam multis testimoniis jam esset roboratũ.

2. Et quia nihil est tam horridum & insuave, quod consuetudine non aliquando mitescat & tanquã maceretur: iis qui regionem illam (etiã ex Hispanis) subegêre, nescio quid profectò affricuerunt feritatis & sævitiæ: ut quidam inter eos reperti sint (sive exemplo moti, sive ærumnarum mole oppressi) à magnis sceleribus & immanitate vix se continentes: facti cupidi, rapaces, seditiosi perinde atq; ipsi incolæ. Et ne feces populi commemorem, primi ipsi duces, qui Peruanam illam terrã cepere, & in illa gubernãda sibi succesére, nónne mutuis cædib9 omnes ferè confecti sunt? Nam Franciscus Pizarrus suffocavit Almagrum: Pizarrum necari fecit filius Almagri: hunc postea Vasca jugulavit: Vascã cepit Blasco: hunc in prælio interfecit frater Pizarri. Adeò corrumpuntur illic mores: sive id accidat exemplo incolarum, sive à cœli natura, sive ab auri atq; argenti copia, quæ oblata, passim reddit attonitos & extra ipsos, homines alioqui cupidos & avaros.

ΤΕΛΟΣ. Τῷ Θεῷ δόξα.





